Gonzaga

Mazurkowic Valent. Joan. Corona radiata reginalium virtutum gloriosis splendoribus relucens.

CORONA RADIATA

Reginalium Virtutum gloriosis Splendoribus relucens,

PERENNI MONVMENTO,

SERENISSIMÆ DOMINÆ,

LVDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ

Poloniarum & Sueciæ Reginæ, Cliuiæ, Niuerniæ Ducis, Principis Mantuæ, Montis ferrati &c. &c. &c. superimposita.

& ad Æternam

Serenissimæ Virtutum Memoriam,

INTER IVSTA Sepulchralis Pompæ,

PER

M. VALENTINVM IOANNEM MAZVRKOWIC,

Vniuersitatis Cracou: inter Collegas Minores Professorem.

pio lugubriq; cultu immortalitati

PRÆSENTATA.

ANNO MORTALIS DEI, M.DC.LXVII.

X. Calend. Octobr.

CRACOVIÆ,

Ex Officina SCHEDELIANA, *S.R.M. Typogr.*

In Stemma Illustrisſimæ Domûs DONHOFFIANÆ.



Stemmata ſint alijs tumidas tollentia criſtas,
Ornat DONHOFFOS hic generoſus Aper.
Nam quoties vel Priſca Fides, vel publica triſtem
Res metuit caſum, mæſtaq; poſcit opem.
Emicat ante alios victrix DONHOFFIA virtus,
Nullos tunc ignes, nulla pericla timens.
Hinc quia magnanimi ſubit ardua pectoris auſu,
Fulmineus ſibi pro Stemmate ceſsit Aper.

Illustrissimo ac Reuerendissimo Domino,

D. ALEXANDRO DONHOFF,

S. R. I. PRINCIPI.

ABBATIÆ ANDREOVIENSIS,

Administratori Perpetuo, S. R. M. SECRETARIO, &c. Domino & Patrono suo Amplissimo Auctor S. & P.

MAgna & firmissima vincula sunt, quibus omnes Principibus obligamur ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME DOMINE. *Principes à Deo datos esse, qui erga genus humanum vice suá fungantur; Ministros esse Dei, ad curam ac salutem hominum, vt bona, quæ Deus illis largitur, partim distribuant, partim seruent; Pastores esse populorum, Tutores status publici, Curatores salutis alienæ, immò Parentes publicos, Patres Patriæ, cælestium ingeniorum, æterna elogia, iam pridem nuncupârunt. Gloriosa elogia, & quæ sola illorum coarguant maleuolentiam, conuincant proteruiam, qui dicta omnia Principum inquirere, ventilare, producere, & paucos aliquos næuos adnotare malunt; quàm illorum continuis præconijs dilaudare bonitatem. Atqui cùm bene calculum ponimus; si non alia nos virtus, parentibus obstringit; nisi illa quæ ex vicino, cum Summo Numine agit, & supra omnes virtutes, altiùs eminet, sanctissimum humani pectoris ornamentum pietas; non alio etiam cultu, optimos Principes venerari decet; quàm pietatis: immò tantò æquiùs, quantò publicæ necessitudines priuatis antecellunt. Cogitaui ego hæc sedulò, & cùm imbecillitatem omnem librâssem meam, præter has literulas, fidissimas vitæ meæ altrices, nihil potui inuenire, quod reuerentiæ in Principes contestandæ gratiâ, consecrare conferreq; possem. Itaq; cùm nitentes vbiq; & lucentes bonitatis, benignitatis, cæterarumq; virtutum Serenissimæ Reginæ* LVDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ *intuerer radios, in argumentum debiti cultus Coronam ex eis contexui Radiatam. Sed vt rarissimè videmus cælum sine nube, ignem sine fumo; sic rarissimè scripta in lucem exeunt publicam: quin ea statim vmbra maligni liuoris sequatur; vel æterni turbines in deterius omnia interpretantium hominum nigræ mentis inquietent. Quare vt præsidium patrociniumq; inueniam, ad Te* ILLVSTRISSIME Dñe *confugio, & in sinu tuo, id quidquid est lucubrationis pono meæ. Qui sis ex publicâ iampridem famâ didici, quæ maximâ humanitate illustres virtutes Tuas, assiduis præconijs extollere non desistit. Vt illibatam silentio transmittam Illustrissimam Familiam Tuam, fecundam Viris maximis, pollentem opibus, splendentem honoribus, cognationis vel affinitatis vinculo, primarijs in Republica Familijs alligatam: Parens Tuus*

omnibus

omnibus sæculis admirandus, GASPAR DONHOFF, *Palatinus Siradiensis, vel ipso nomine in virtutum omnium exemplum venit, qui vel vnicus Familiam Vestram illustrare poterat, nisi illustrißimam inuenißet. Singula tanti Viri decora, quis poßit breuiter æstimare, sed vel enarrare? Enituit ille in Serenißimos* REGES, *Rempublicamq; Polonam, fide, auctoritate, liberalitate, constantiâ, prudentiâ, magnanimitate, rerum agendarum dexteritate. Enituerunt etiam in eum Serenißimi* REGES, SIGISMVNDVS III. *&* VLADISLAVS IV. *grande vterq; togatæ, armatæq; prudentiæ miraculum, propensione, gratiâ, benignitate, suumq; in eum affectum, amplißimis in eum congestis honoribus, sciri voluerunt. Quorum hic etiam splendidißimo illi negotio, quo Serenißimã* CÆCILIAM RENATAM, FERDINANDI II. *Augustißimi Rom: Imperatoris Filiam, in sacrum sibi Coniugium deposcebat; eum potißimùm delegit Pronubum, & Paranymphum; securus ceßurum ex voto publico Orbis Christiani, quidquid* DONHOFFII *prudentiâ fuißet stabilitum. En qualis quantaq; Tua felicitas, à tali Parente prodiße, qui in se absolutam Magni Senatoris ideam expreßit, & in compendium vitæ suæ, omnes Heröici pectoris contraxit dotes. Sed in Te quoq; redundant istæ laudes, non satis arbitrantem, summum fuiße Parentem Tuum, nisi pari Te virtute gloriæ consignes. Qui Te, qui Tuas virtutes intuetur, videt in Te spirare Illustrißimi Parentis viuam virtutum effigiem, & exprimi quidquid ille geßit. Eadem in Te relucet prudentia, cultißimarum Nationum lustratione, limata & polita. Eadem magnanimitas, grauitas, auctoritas, in publicis priuatisq; actionibus spectata. Eadem fides, solertia, industria, eloquentia, nostræ Poloniæ multis in occasionibus; Orbi etiam Europæo, in illà Legatione Tuâ, pro Serenißimo Nostro* IOANNE CASIMIRO *ad Inuictißimum* FERDINANDVM III. *grandi immortalis Tuæ gloriæ incremento probata, in quâ Tu Legatione saucium Augustißimi Parentis pectus, ob immaturum* FERDINANDI IV. *primogeniti Filij, Hungariæ & Bohemiæ Regis occasum, gratißimo illo lepore mellitæ dictionis, & eleganti morum venustate mirè recreasti, releuasti. Omitto alias præstantißimæ Naturæ dotes, candorem, doctrinam, modestiam, humanitatem, continentiam, pietatem, quia cùm in omnium oculos statim incurrant, copiosi sermonis præconium non requirunt. Hijce itaq; de causis exambire Patrocinij Tui fauorem volui; & simul venerari, nobilitatis, virtutis, dignitatis Tuæ genium, ratus à tantâ luce crepusculum tenuis ingenij mei, etiamsi quæ fortè inualescerent caligines improborum hominum, illustrandum. Suscipies pro innatâ benignitate Tuâ, & pro singulari prudentiâ putabis ad Te, qui nobilißima corporis Politici portio es, laudes Serenißimæ Reginæ, tanquam augustißimi capitis pertinere. Ego in reliquâ vitâ mea, vota Supremo Numini nuncupabo, vt Te diu incolumem, maximorum honorum fastigia, per prudentiæ & compositæ vitæ gradus, felici paßu emetiri patiatur, ad Ecclesiæ suæ, Reip. addam etiã Vniuersitatis nostræ, incrementum. Cuius quanti facias solicitam in educandâ Nobilißimâ Iuuentute diligentiã, abundè nuper declarasti, cùm eius institutioni Illustrem Nepotem,* SIGISMVNDVM VICTOREM DONHOFF *credidisti, Iuuenem in quo virtus & modestia, probitas, & elegantia, indoles & industria, festinata celeritate, ad publicum Patriæ solatium, adolescunt.*

CORONA RADIATA.

QVantum Patriæ noſtræ, ſit inflictum vulnus, luctuoſo Sereniſsimæ REGINÆ LVDOVICÆ MARIÆ GONZAGÆ occaſu: ille tantùm ignorat, qui omnem depoſuit ex animo recordationem, grauium Patriæ noſtræ ærumnarum, quibus tot annis, ab inimicâ Fortunâ, crudeliter mulctata; & de culmine beatæ pacis, in ipſum‿ miſeriarum, & bellorum detruſa præcipitium; neq; lubricum retinere valens gradum; omne penitùs, priſtinæ ſimulachrum, deperdidit dignitatis. Communes Patriæ calamitates, tot nefarias hoſtium in nos molitiones, tot populorum ſtrages, tot incendia Villarum, tot direptiones Oppidorum & phanorum‿, tot præſtantium Reipublicæ Ciuium, dolendos occaſus; hoc tamen vnico, penſabamus nobis ſolatio: quod mitiſsimos nobis Principes, benigna fata conſeruabant; quorum paternâ prouidentiâ regeremur; quorum in nos benignitate, curâ, vigilantiâ, tanta malorum in nos vndiq; detonans procella; tot minæ & fulmina Fortunæ lenirentur. Ecce verò nihil his mitigata, vel placata, feralis Clotho, effert atrociſsimam bipennem, infligit mortiferum ictum noſtræ deſideratiſsimæ Matri, geminat crudele vulnus, refricat vtcunq; ſanatam cicatricem; & nihil tale ſperantibus nobis, ſurripit ex oculis illam, in cuius vitâ, continebatur vita noſtra, Sereniſsimam Ludouicam. Heu quot in vno nomine damna! quot in vnâ morte clades! quot in vno infortunio calamitates! Cecidit enim nobis optima Princeps, non‿ arcto aliquo tramite, ad veræ laudis contendens culmen; ſed rectiſſimis, latiſsimis itineribus, & pluſquam humano paſſu, ad duraturam nominis memoriam progrediens: & pari nexu, vitam & virtutem, per continua momenta iungens. Occidit Regni noſtri delicium‿, populorum voluptas, Gallicæ gentis gloria, labentium rerum columna, Chriſtiani Orbis ſolatium, Eccleſiæ deſiderium, humaniorum‿ omnium affectuum Cynoſura. Extincta eſt Ludouica illa, quæ in ſe laudabiles veterum Heroinarum renouabat dotes, dum cæleſtibus dotibus, ſuprà humana omnia ſcandens altiùs, animorum libertatem, in ſui amorem, ſuauiſsimè rapiebat‿. Occubuit Ludouica illa, Re-

gnorum nostrorum Gemma, Decus, & ornamentum singulare, quæ modestiam in compitis, mel in verbis, gratias in aspectu, oraculum in consilijs, in factis exemplum præferebat: ad quam cumulandam, atq; ornandam, quæcunq;, aut Natura hominibus, aut Fortuna largiri solet; omnia, singulari quadam liberalitate, consenserunt. Meritò ergò omnium oculi, humentibus lachrymarum guttis irrigantur; meritò lamentabili comploratione tanta iactura defletur; meritò omnes anguli, crebris gemitibus circumsonant; meritò luctus vi doloris expressus, erumpit ex aulâ: & postquam obuios acerbitate nuntij confudit vultus, anxietatem atq; solicitudinem animorum pandit: & in ipsa dolentium viscera, sæuissimè debacchatur. Meritò omnium erectæ spes, tristi desperatione deiectæ; omnium spiritus, vnius exspiratione interclusus; omnium vita, vnius morte iugulata. Atq; adeò hoc tantò magis, tristi solicitudine perculsis mentibus, est indulgendum, quod non ita optimos Principes, velut præcipitatum in occasum Solem, similium nobis ortus reuehit, & in hoc pulcherrimo honoris cælo ponit: sed vsq; adeò rarissimus est talium prouentus, qui exemplo, qui legibus, fluentes diuturnâ corruptelâ, sæculi mores corrigant: qui se à populi vilitate, non Fortunæ tantùm opulentis muneribus; sed etiam diuite Prudentiæ, & virtutis censu tollant sublimiùs: qui quasi quædam benigna Numina, magnitudinem suam, felicitate subditorum velint æstimare: vt crediderim immeritò vanitatis arguendum, quisquis polliceretur, bonos omnes Principes, in vnâ Pyrrhi gemmâ se sculpturum. Quis ergò seueriori censurâ iustissimum dolorem nostrum castigabit, aut gemitibus nostris succensebit grauiùs: si Serenissimi nostri syderis occasum, squalentibus prosequimur tenebris, & amicissimo funeri, tristes damus inferias: quando scimus, quid amiserimus; quid habituri simus, an aliquando simile visuri, probatissimarum Reginarum exemplar, ignoramus. Ac profectò, si Serenissima defuncta, perenne à nobis lachrymarum tributum exigeret; cuperemus omnes, cum Niobe, in sudantia marmora verti, vt sic perpetuis madentes lymphis, eius tumulo adstaremus: vel cum Heliadibus, humentes ex oculis destillare latices, vt ij in pretiosum concrescentes electrum, nobile nobis suggererent monumentum, in quo vniuersi orbis notitiam meritæ, corporis eius exuuiæ conderentur. Quid enim fuit illâ, per totam vitam laboriosius? quid magis anxium, solicitum de Republica? quæ, cùm ab initio imperij sui, bona, fortunasq; suas omnes in communionem Reipublicæ nostræ contulisset; & modici quiete temporis, aureo VLADISLAI IV æuo, fuisset vsa; breui post, omnibus belli impetu perculsis, atq; prostratis; omnibus ornamentis dignitatis, & præsidijs, amissis ac deperditis; totum vitæ cursum, in his gloriosis laboribus conficiebat; huc referebat animum, & deriuabat curas, & contentiones suas; vt & quæ iacebant, in pristinum locum reuocaret;

& quæ

& quæ diffluebant, optimis legibus vinciret; & quæ fuerant diuexata, ac direpta, componeret; & quæ perierant, restitueret; & quæ fuerant conuersa, atq; perturbata, in solido collocaret. Quibus pro tantis laboribus, an non deceret copioso fletu, & manantibus lachrymis, æternùm pios eius inspergi cineres; & per immodica lamenta, certissima nostri in eam amoris indicia declarari? An non æquissimum esset, frigida eius ossa, calentibus hisce fluentis, perpetuò irrigari. Enimuerò Serenissima Regina, tot perfuncta curis, tot liberata molestijs, tot exsoluta difficultatibus, à tantâ varietate casuum expedita, in diuinioris cuiusdam vitæ, consortium est admissa. Intrauit dulcissimam illam Patriam, certis æternisq; legibus gubernatam, in qua, non videre est flagrantes bello Regiones, non ardentes inuidiâ populos, non exilia innocentum, non acerbas subditorum fugas, non cædes optimorum capitum, non deniq; deuastatas à funesti belli flammis, eas ciuitates: ad quas ipsa florentissimas præstandas, omnibus studijs, & conatibus incubuisset. Excepit illam alia forma rerum, & in vastissima illa spatia immissam, nihil iam humile, vel pusillum delectat: sed pulcherrimum Diuinorum spectaculum, & perpetuæ, dulcis detinet contemplatio. Peruenit post diuturnâ naufragia, & fatorum decumanas procellas, in securissimum portum, vbi tutò licet despicere, mutuos furentium concursus; & tædio malorum, sæpiùs inuocatam mortem, & possessionem exclusam pacis; & adultam maturitatem sceleris; & quandam malitiæ senectutem. Nostrum ergò, nostrum id est malum, quòd iam eius bonitate non permittitur nobis frui, quæ in vitâ, hoc vnicum, visa est egisse; vt omnium lachrymas, efficaci solatio; inopiam, præsenti ope; mala, largâ beneficentiâ propulsaret. Quod quoniam ad domesticam nostram calamitatem referendum est: feramus illud, forti animo: ne, ad mortis necessitatem, à cuius lege nemo exceptus, imperitiæ etiam dedecus; quod humanæ nobis, inducat obliuionem conditionis, adiungamus. Intereà, ne non satis grato animo, in defunctam videamur; meritis eam laudationibus, & honorificâ recordatione; (quandoquidem hoc solum est præmium, quod eximijs magnorum virtutibus, à gratâ posteritate rependitur,) prosequamur. Mihi certè, sicut cum eleganti Plinio, pulchrum visum est; non pati occidere eos, quibus æternitas debeatur: resq; eorum dignissimas, ad posteritatis memoriam conseruare: sic non indecorum fortassis fuerit, officioso vmbratilis Suadæ obsequio, idem experiri. Erexerit ergò huic fini, omnis laudis feracissima antiquitas, Columnas triumphales suis Semiramidibus: excitarit aras Liuijs: defixerit tabulas Arrijs: flexerit arcus Pulcherijs: alias præstantissimas Heröinas, diuerso genere cultus honorârit: ego ad commendationis argumentum, ne à Serenissimæ Reginæ viuentis Honoribus recedam, Coronam ei fabricabo Radiatam. Quæ quò faciliùs, mansuram eius, omnium animis, insinuet recordationem,

& per triſtes, ſepulchralis rogi tenebras, indicium ſui, clariſsimo iubare faciat, auguſtis eam virtutum defunctæ radijs illuſtrabo. Si fortè materies tranſcendet opus, & tantarum ſub mole rerum, fatigatus ſuccumbam Panegyriſta; ad benignum ſpectatoris iudicium prouocabo: vt quicquid hîc præſtitum aduertet; ſubmiſsionis potiùs, & debitæ in Sereniſsimam Reginalem Maieſtatem venerationis, Lytron putet; quàm florentis eloquij penſionem.

PRincipum Heröicis mentibus, lucidos honores deberi: nihilq; ita conuenire; ſicut triumphales ſplendores, è Capitolio cæleſti deriuatos; venerabile anteacti ſæculi præiudicium, liquidis euincit documentis. Exquirat quiſquis inter aſſenſum, & diſſenſionem medius, pronâ non vult, in hanc ſententiam, voluntate ferri, orbis vniuerſi iudicium: mittat in præteritum, diligentiam curioſam: luſtret retrogradam ſæculorum memoriam: diſcutiat venerandæ monumenta vetuſtatis: inueniet inter ambitioſa populorum vota, nihil ab ijs potuiſſe fingi præclariùs: quàm vt ſuos Principes, ſplendidis Honorum coronamentis exornarent. Nimirùm prudens, quantùm in illâ caligine fieri potuit, antiquitas: cùm videret Regum dignitatem, nihil aliud eſſe, quàm Monarchiæ cæleſtis expreſsionem, in qua ſe Suprema Diuinitas nitidis depingit coloribus: cùm cerneret iſtam poteſtatem, radium eſſe lucis illius, quâ DEVS in ſummo & imò complet, exhilarat, moderatur omnia: non alio etiam, quàm Diuino honore, eos ſibi ſemper colendos iudicabat. Ergò ſicut Solem, ad cuius exortum, omnis natura reuireſcit, & mirâ varietate, ſua vbiq; diſpenſat dona, quia vel principale Mundi Numen, vanâ ſibi credulitate perſuadebat; vel præcipuum DEI inſtrumentum, per quod, in tot labentium ſæculorum curſu, mundum inexhauſtis vicibus recreat, conſpiciebat: duodecim idcircò auratis radijs coronabat: quod is duodecim ſigna Zodiaci, lucido tramite percurrens; immò quod totidem Menſes, & horas conficiens, ſtupendas rerum conuerſiones, tam in ſuperiori, quàm in inferiori gignit orbe: ita Principum diademata, tot radijs, ex aureâ laminâ ſurgentibus, & ſpargentibus ſe ſe; moxq; in apicem reducto gyro coëuntibus, in acumen ſe volebat efferre: vt ſalubre Principibus tacitè conſilium ſubminiſtraret: Principes, velut pulcherrima ſydera, in altiſsimo honoris firmamento, Diuinâ manu eſſe collocatos; qui irrequieto omnium Regionum ſpatia percurrentes curſu, vigorem ſanitatemq;, ſibi ſubiectis, impertiantur. Atq; ego de viuentium honoribus loquor; ampliùs aliquid ſibi, eadem perſpicax virtutum obſeruatrix permiſit, in eis honorandis, quos ab oculis mortalium, amolita natura eſſet. Tum enim non tantùm magnis Heroibus, exquiſito parentabat apparatu; non tantùm per odores, in magnificas cumulatos pyras, eoſdem venerabatur; non tantùm per aquilas è rogo erumpentes conſecrabat; verùm etiam ma-

nus

nus eorum trisulcis fulminibus, capita radijs, & astris exornabat; & mediâ inter Deos sede collocabat. Ita Herculem, Liberum, Pollucem, Castorem in Græcia; Iulium, Augustum, Neruam, Traianum, Romæ; Belum, Ninum, Semiramidem, in Asia; Osiridem in Ægypto; hæc nimiùm reuerens suorum Principum vetustas, in cælum duxit, Diuinos illis honores nuncupauit: nec exiguâ tantùm thuris impensâ; sed cæsis etiam victimis, densisq; pecudum stragibus honorauit. Ita eximijs laudatissimarum Matronarum virtutibus, (ne à tanto honore, sexum putemus exclusum muliebrem) hanc quoq; gratiam rependit, vt quoniam in vitâ, adinstar splendentium syderum, omnes nebulas calamitatum, in Rebuspublicis abstergebant, suarumq; lumine virtutum, mundo succurrebant laboranti: post fata etiam, habitu Dearum, in erectis sibi templis, stellis coronatæ starent; & splendidis cælestibus ornamentis rutilarent. Quo in genere nimij & prodigi cultus; quamuis antiquitatem, ab impiâ nequeam superstitione excusare; vt eam tamen appellem imprudentem, ratio non occurrit. Nam præterquàm quòd non nemo apud elegantem Curtium loquitur: Maiestas imperij salutis est tutela. prudentissimè & præclarissimè mihi Ecphantes libro de Regno videtur decreuisse. In terrâ (verba eius sunt) optimus quidem inter cæteras animantes est Homo: Diuinissimus autem REX. Similis quidem corpore, reliquis hominibus; sed cælestem referens auctoritate virtutem; Deiq; imaginem repræsentans, qui eum mirificè produxit, Archetypo vsus seipso. Animosè proinde ad Coronam Radiatam, descendo contexendam: quòd vnà mecum omnes prudentiæ testes recognoscant, in Principibus, præter ea, quæ sibi sunt cum cæteris hominibus communia: esse aliquid excellentius, diuinius, augustius; ac propterea maiori studio ad posteritatis memoriam transmittendum. Transmittentur à me quanquam pusillo & imbelli Oratore, virtutes tuæ, magnum Reginarum decus, Serenissima LVDOVICA. Quidquid Pallas mea immortale habuit, id in funere tuo declarare cupiet, & æternùm duraturis splendoribus, perenne tuum illustrabit monumentum. Liuiam olim Augustam, habitu Iunonis, Claudius Imperator; Drusillam, habitu Veneris Caius; redimitas stellatis Coronis consecrarunt. Faustinam Antonini Coniugem, Planetarum heptade cinctam, in cælum euolantem; quasi pari cum stellis passu, lacteas cæli vias peragrasset, prisci nobis nummi repræsentant. Insignia hæc, sed vanitati superstitiosæ accommodata sunt, longè ditior mihi thesaurus est, ex quo ornamenta, nullo vnquam pretio æstimanda colligi, & ad Coronam immortalis memoriæ contexendam, transferri debent. Ficti ibi, simulati, ementiti splendores; non tam à Cælo; quàm ab ostentatrice adulatione mutuati: Serenissimæ Reginæ, fulgores, veri, integerrimi, candidissimi, intaminati; quia à virtute desumpti. quæ (vt lucidissima eloquij Pharos testatur

Tullius,) lucet in tenebris, ſplendetq; per ſe ſemper, neq; alienis vnquam ſordibus obſoleſcit.

Vnde verò potiùs; quàm ab illa virtute, quæ de propinquo numen ſpectat; & quaſi ſtellæ iuxta ſolem; ſic voluitur circa primam & puriſsimam mentem, ſcilicet Pietate, primum laudationis iubar accendemus? Eſt ea grandis Regnorum felicitas, cùm tales ijs, ſupremi munere Numinis, Principes eueniunt, qui digna cælo pectora, eximiæ ſubmittunt pietati: & ardenti Religionis ſtudio, quantùm humana imbecillitas præſtare poteſt; animum cum Deo coniunctum habent, eiuſq; cupiditate Diuinitatis inflammatum. Nam cum tria ſint, quibus fundamenta Rerumplicarum ſalutis continentur, honeſtas imperantium, auctoritas, felicitas, horum certè trium, admirabilis venuſtas, ſpecies, elegantia; incredibile robur, firmitas, potentia, non in alijs Principibus cerni poteſt; quàm qui in ſempiterno Numine, illius incenſi ſtudio, mentem defixerunt ſuam; ab illoq; tanquam totius boni Principe, hæc tria præſidia, fidenter efflagitant & repoſcunt. Spectauit hoc Orbis in Conſtantinis, Theodoſijs, Heraclijs, Gratianis, Martianis, Rudolphis, Carolis, Ferdinandis: ſpectauit Polonia Noſtra, in Boleslais, Caſimiris, Vladislais: ſpectauerunt aliæ Nationes, Hiſpania in ſuis Alfonſis & Philippis; Anglia in Eduardis; Hungaria Stephanis; Bohemia Venceslais; Gallia Ludouicis: ſpectauerunt omnes Regiones, in Principibus integerrimæ pietatis, & ſimpliciſsimæ integritatis, qui cum continuis deuotionis actionibus, in Deum ſeſe, debitâ ſemper cum ſubmiſsione transfunderent: non modò honeſtatis mirabili decore, magnificè placidèq; fulgebant; ſed eminentiâ quoq; quadam auctoritatis, omnes in ſui venerationem conuertebant, omnibus ferociſsimis Gentibus, timorem ſui incutiebant: & cælitùs ſibi adiunctæ prærogatiuâ felicitatis, duras atque aſperas rerum vices, beatiſsimâ rerum omnium affluentiâ, compenſabant. Commodiſsimè itaque Coronam Radiatam texens, à Pietate primos radios accendo: tum quod eius Principes circumfuſo iubare illuſtrati, non aliter in publico conſpiciantur; quàm illi, quos meliori pollice, in ipſo Matris vtero, Fortunæ ſors finxit, quibus Gratiæ naſcentibus arriſere; tum quod ea horrorem, & caliginem temporum, à Rebuſpublicis procul pellens, omnia ad cunctorum lætitiam, fauſtiſsimis auſpicijs moderetur. Age ergò, videamus iam, an Sereniſsima Defuncta, hoc probatiſsimo auro Coronam ſuam exornauit, hâc rutilanti gemmâ, vitæ ſuæ circuitus illuſtrauit, hoc cæleſti ſplendore, ſublimem ſuum animum decorauit: facilè deinceps iudicaturi, quæ ſibi hoc immortale ornamentum adſciuerit, elegerit, aſſumpſerit, ad immortalitatem eſſe perennibus elogijs transferendam. Hîc ego iam me fortunatum puto, cui inter opulentam rerum omnium vbertatem, ſingularia tantùm delibare cogitan-

gitanti: tam multa selectissima pietatis occurrunt documenta, vt non tam paupertas mihi sit materiæ incusanda; quàm potiùs verendum, ne me ipsa copia inopem; ipsa rerum Maiestas, elinguem faciat Oratorem. Principio, cùm Serenissima Regina, ex inclytissimo, Ducum, Heroumque Montis ferrati, Ferrariensium, Bauariæ, Mediolanensium, Barensium, Hetruriæ, Guastallæ, Retelli, Cliuiæ, genere prodijsset: quod non tantùm antiquitate nominis, splendore, pacis ac belli studijs; affinitatum cum Orientis, Occidentisq; Imperatoribus, Galliæ, Germaniæq; Regibus, amplitudine; virtutis commendatione, semper fuit illustrissimum: sed etiam intaminatæ Religioni Catholicæ, non interruptâ serie, acerrimos semper propugnatores & defensores; Cælo sanctitate, atque innocentiâ, spectatissimos Indigetes, procreare non desistit: videbatur inflammatæ in Deum pietatis, spectatæ in Religionem Orthodoxam inclinationis, igniculos, ex clarissimo, nobilissimi Generis splendore, cum ipso adhuc ortus sui initio traxisse. Loquuntur hoc, & denuntiant manifestè, omnes eius ordinatissimæ actiones: in quibus ad absolutissima ideām, amussim, & exemplar pietatis, ita sese concinnabat, vt si indubitatū est, quod Sacræ nobis literæ prodiderunt: pietatem & timorem Diuini Numinis, aut animam hominis esse, aut eius vitam: crediderim ego, non aliâ eam animâ vixisse; quàm pietatis. In Persiæ Regum tabernaculis, imaginem solis, crystallo inclusam fulsisse; ignem exeuntibus, argenteis altaribus prælatum, antiquâ nobis testantur monumenta. Fortè ideò, vt aspectu illo ignis, & solis, quibus illi Diuinos honores deferebant, supremi Numinis sibi recordationem instaurarent. Ignem multò meliùs, Serenissima Regina pietatis, in imo pectore accensum, perpetuò fouebat; vt non aliter, nisi vt imago solis in crystallo; cunctis suis in actionibus reluceret. Appello omnes ei⁹ progressus vitæ, in quibus hoc nitidum lumen, eximiè semper emicabat. Quò enim aliò Serenissima Regina direxit gressum, nisi eò, quò ducebat Pietas? quid aliud prompsit linguâ? nisi id, quod præcipiebat Pietas? quid in conuersatione expressit? nisi id, quod regulabat Pietas? quàm in omni actione tenuit normam, & exemplar spectabat? nisi id, quod Pietas imperabat. ita vt nihil in omnibus eius negotijs fractum, in sedulitate profanum, in sermone neglectum, in conuersatione remissum, in omni vitâ indecorum, lyncea cuiusuis malignitas subnotaret. Appello rursus, castissimas, delicatissimas, piæ mentis eius solitudines, in quibus illa, multò teneriùs; quàm olim opibus, ac luxu dissoluti, Persarum Reges, hyemem Babylone vel Susis; in Mediâ æstatem agentes, respirabat. Quoties enim, quoties videre erat, Serenissimam Reginā, secessu à turbâ influentium negotiorum quæsito, inclusam Virginalibus puellarum Deo dicatarum Asceterijs: velut in placidâ Halcyonum serenitate,

& deterſi cæli riſu, contemplationibus Diuinis, animum ſuum, ſeriò occupantem. Quoties videre erat, alijs euolutam curis, in eo intenſo defixam ſtudio, vt breuiſsimæ meditationis compendio, in ipſum Diuinæ gratiæ centrum, in ipſum cæleſtis ſapientiæ meditullium penetraret. Quoties intueri erat, inter puriſsimas illas mentes, cæteris neglectis & contemptis, hoc vnum agitantem, vt Deo ſuo, probitate, & conſcientiâ liberrimâ nixâ, ſeſe præſentaret. Ibi Sereniſsima Noſtra Princeps, altera planè Orientis Pulcheria, altera Eudocia, aurã prorsùs aliã hauriebat; & longè aliter de humanis, quàm in Regalib⁹ palatijs ſentiebat. Ibi corporis cõmoditatib⁹ intermiſsis, loquente pupillâ oculorũ ſuorũ, in ſuam redibat originẽ. Ibi caſtiſsimas verborũ operumq; victimas, non in arâ hoſtijs præparatâ; qualẽ falſis Dijs, ſuperſtitionis cæno maculata, erigebat Gentilitas: ſed in profundâ cordis ſui baſi, Conditori ſuo dedicabat. A tanto pietatis æſtu, vehementiores proſiliebant ſtricturæ, quæ aciem hæreticæ prauitatis hebetabant; quæ improbitatem, temeritatem, contumaciam, velut ſylueſcentes, ſine fructu agros, amburebant; quæ corroboratam diuturnis ſceleribus audaciam, ab imis vſque fibris, & radicibus exſtirpabant. Declarauit illud, cùm in permultis alijs occaſionibus; tum præcipuè in Arriana Hæreſi, ſuis efficaciſsimis perſuaſionibus eijcienda, exterminanda. Ferox & immane iſtud virus, ſubtiliſsimâ vi, permeans animos, & confundens vniuerſa, mirum, quàm potenter in Regno Noſtro inualuerat. A nouis Gigantibus Chriſti Diuinitas cæco impetu, & vaſtis viribus impugnabatur: & iam huc ventum, non vt in tenebris ſuis deliteſceret; ſed emergeret è priuatis angulis, & ſe in luce Noſtræ Gentis collocaret. Mœrebant boni omnes, maximè cum viderent, hoſtium crudelitatem, talium flabris Æolorum concitari. Sed vt fit in libertate, cùm ſinguli frement; ſuſtinebant vniuerſi. Non ſuſtinuit tamen Sereniſsima Noſtra Princeps. Illa centiceps hoc monſtrum, ſuâ auctoritate iugulauit: illa effecit in Republica, ne vlteriùs ſerperet in publicum exitium; ne domi, ne in Penatibus domeſticis contineretur; ſed vltrà limites Regni, vltrà Polonæ Gentis confinia ablegatum, iaceret tandem proſtratum; & ſe perculſum ſentiret; & retorqueret liuentes oculos ad hoc Regnum; ex quo ſe pulſum, cum ingenti dolore, meminiſſet. Sed enim parùm adhuc viſum Sereniſsimæ Reginæ, demergi in ipſo myſticæ voluptatis torrente; aut hunc torrentem turbantes abigere; niſi etiam ſocios habuiſſet: parùm reperire pretioſam Margaritam; aut pretium huius Margaritæ ignorantes contemnere; niſi amicos ad congratulandum conuocaſſet: parùm ſub tam felici tabernaculo requieſcere; & quieti huius tabernaculi obſtrepentes, relegare; niſi locum eius ad alios excipiendos dilataſſet. Otioſus ſcilicet Diuinus amor non eſt, & cùm alicuius capaciſsimum pectus impleue-

impleuerit; quærit adhuc vicina, in quæ redundet loca: neque contineri potest; quin minimas etiam occasionum rimulas inuestiget, & ambiat, per quas prodeat in apertum. Excitat igitur maius incendium amoris in Deum: parat Pietati stimulos, ardori duraturo flabella, atque vndiq; Viros pios & deuotos cõuocat, qui vnà cum ipsâ, diuturno gelu constricta pectora, & frigentes sine cultu Diuino animos, sanctissimo amoris cælestis igne corripiant, & gratissimas victimas, suo offerant Creatori. Ad expurgandam impietatem, poliendam barbariem, profligandam imperitiam, exstirpandam crassam Diuinorum arcanorum ignorationem, inducit in Suburbium Varsauiense, maximâ in Devm propensione, inclinatos Sacerdotes, eosq; ibidem collocat, munificentissimè ditat; eo fini; vt elegantiam, pietatem, morum optimorum perfectionem, propagent, improborum sceleribus cautissimis obsistant monitionibus, & cum vitiorum omnium efferatâ immanitate, bellum gerant gloriosum. Vocat paulò post castissimi amoris vinculo, Christo conglutinatas Sponsas, lectissimum Virginum germen, Sancti Francisci Salesij, Seraphini Gallici, rigidum institutum tenentium: dilectas Agno illi cælesti, ob niueam vitæ puritatem animas: easdem in viciniâ Palatij Varsauiensis collocat, optimâ locupletat prouisione, vt à mundanis expeditæ curis, tantò faciliùs, ingenitam illam percipiant lucem; tantò promptiùs suauissimis contemplationis itineribus, in primam pulchritudinem tendant; quantò minorem sibi per Optimam Fundatricem, viderent superesse, de rebus, vitam concernentibus, necessitatem cogitandi. Quid hîc ego dicam de eius incredibili, in Candidissimum Carmelitarum Excalceatorum Ordinem beneuolentiâ? quibus cùm pridem suum amorem, patrociniumq; addixisset; grandem etiam summam, pro excitando Templo Leopoli, liberaliter erogauit. Quid de singulari, in alios Sacros Ordines affectu, quibus illa, cùm in eorum necessitatibus, libenter lætissimum vultum, indicem animi pij demonstraret; cum quibus, cum promptissimè rerum Diuinarum colloquio se se oblectaret; quorum preces, cum clementissimâ humanitate exaudiret; illisq; è præscripto addictissimi pectoris celeriter assentiretur: eosdem ad propagandum cultus Diuini zelum, mirificè semper animabat, largis subsidijs adiuuabat, ab improborum insultibus tuebatur, omnem securitatis fiduciam prouidebat. Et erit qui huic feruentissimæ Pietati, inuideat æternitatem? quid est, in quo magis eius se se deuotio, in Devm exerere potuit? quæ non tantùm in recessu & vmbrâ hoc agebat, vt præpetibus Pietatis alis, perpetuò sese ad Devm attolleret: verùm etiam omni labore contendebat; vt quàm latissimè hic Diuinæ Pietatis ignis, multorum veluti manu, atq; ore auctus, extensusq;, perueniret.

Hîc iam mihi, magna dicendi sylua subnascitur, ex qua nunquam

me satis expediam, nisi cogitatione legentium fuero subleuatus. Vt enim si de limpidissimo fonte aquã haurias; quantò plùs inde prompseris; tantò plus gelidi humoris, benigna Mater terra, per occultas venas ministrabit tibi: ita pietatis dulcedinem, quãtò magis tenerrimis sensibus imbiberis; tantò plures sese virtutes tibi arctissimo nexu applicabunt. Regina virtutum nempe, Pietas est, solitaria incedit nunquam, trahit in societatem, quidquid magnificum est; & Dei vultibus cùm se sistat; sine apparatu cæterarum laudabilium actionum non aduenit. Maximè verò illas suo lateri comites adiungit, quæ velut sacra procella, & aureus imber, in munificentiæ nubibus collectus, copiosis beneficijs, in arentes indigentium descendunt sinus. Sicut speculum, quod nulla turpitudinis inspersit macula, cùm directè soli opponitur, ita vt eius illimem vultus nitorem excipiat, & dispersos radios colligat; statim deinde collectos in circumiacentia spargit; eaque aliquando, si fortè concipiendæ flammæ idonea sint, non illustrat tantùm; sed inflammat: ita integerrimus animus, cùm lumen in se Diuinum clarissimum recipit; non solùm ipse mille venustis cælestis gratiæ micabit facibus: sed etiam ad aliorum obscuram tenebricosamq; sortem, charitatis & humanitatis lucentibus stricturis illuminandam, piâ quadam necessitate, & dulcissimâ violentiâ celer fertur. Quod eximiè in Serenissimâ nostrâ Reginâ, Sarmaticus vidit Orbis. Postquam enim in confinium æternæ lucis, Pietate suâ peruenisset, mirum quantis prodigæ Pietatis luminibus cæpit omnium mentes, omnium tenuitatem continuè recreare. Videbatur profectò pia Serenissimæ mens, non aliud quidpiam, nisi magnũ quoddam sidus, quod totam spargit claritatem, citra vllam electionem eorum, quibus est profuturum. Videbatur vber & pingue solum, quod muneribus suis non homines tantùm; sed etiam iumenta saginare, & satiare non recusat. Videbatur collecta serotina nubes, quæ in æstu calamitatis, opportunas sitientibus fundebat lymphas. Videbatur arbor procera, ditissimâ fructum onerata vbertate, quæ prætereuntium dextras, officiosè sese flectens, inuitat ad carpendum. Videbatur portus communis, ad quem omnium miseriæ appellebant, vt se felicitate transmutarent. Videbatur fons publicus, qui omniũ siti inseruiebat, immò qui suo fluxu, quærebat sitientes, & se spõtè non poscentibus offerebat. Demittebant sese, beneficæ Serenissimæ Reginæ manus, in intimas sordes, fæcemq; iacentium in plateis relictarum pupillârum, quas solicitè obseruans eius amor, tanquam suauissimam DEO venationem, in Xenodochijs, Orphanotrophijsq; à se insignibus fundationibus erectis, & in singulos annos sufficienti prouentu auctis, intimo inclinationis propensæ sensu, reponebat. Versabantur in squalore carceris, & reorum, quos multoties solutâ de suo pecuniâ, ex ijs pænarum ergastulis eximebat. Versabantur in

infimæ

infimæ plebis vilitate, in quam sæpiùs incredibili beneuolentiæ significatione, grandem summæ portionem diuidebat. Versabantur in omnium hominum necessitate, quorum illa studebat commodis, ingemiscebat damnis; quasi omnes homines in suis visceribus genuisset; quasi ipsius cor, aliena mala potissimùm cruentarent. Ad eam veniebat oppressio miserorum: illa lamenta Viduarum excipiebat: illa lugentium innocentes, sistebat lachrymas: illam Patronam insontes sibi deposcebant: eius latus, pro iustitiâ, contra improbitatis potentiam requirebant. Neq; quidquam sibi fuit iucundius, quàm paupertatem multorum, optatissimis benignitatis muneribus locupletare, dare salutem afflictis, distinguere singulos dies, non tam horis, quàm beneficijs, nouam pluribus felicitatem, nouam fortunam dispensare, esseq; commune quoddam pignus, fatorum meliorum. Spectasti hoc incredibili tuâ voluptate, annis ab hinc quatuordecim, ne per multa minora exempla curiosè vager, totius Orbis Polonici, compendium Cracouia. Meministi inquam, neq; quæ tua est in Altricem gratitudo, è memoria tibi patieris effluere, quod tam palmario didicisti experimento. Tenes dulci recordatione Serenissimæ Reginæ animum, loco salutaris Helyces tibi affulsisse, quæ nubila & fulmina malignæ tuæ sortis, liberalitatis beatissimâ malaciâ consopiret. Nescio, quæ tum temporis fatorum inclementia, vindicem extenderat dexteram in hanc Vrbem. Crudelis Libitina, fortè an à Diuino furore, in communem perniciem laxata, multis millibus incolarum, breui tempore eam spoliauit. Rara in vasta Ciuitate, & pomerijs Domus, quæ compluribus non redundaret funeribus; alicubi integræ Familiæ efferebantur. Languidæ Matres, hinc maritos efferebant; hinc filijs præparabant pollinctores. Robustiores, deficientem morientium spiritum, vtcunq; fulcire conati; exspirantibus, ipsi deniq; incumbebant, & vno supremo officio, ad tumulum portabantur. Nullum pauperis, nullum diuitis discrimen, cùm omnes humanitatis leges, suprema necessitas confudisset. Adextremùm vi mali inualescente, consumptis pestilentiâ contagionis, qui vltimum morientibus, sepulturæ præstarent obsequium, occurrebant vbiq; insepulta cadauera, & solitudo plateas, triste iustitium tabernas, ferale silentium totam Ciuitatem occupârat. Nondum tamen hîc sæuitia stetit fati. Deficientibus enim in dies hominibus, nullo ex remotioribus locis, ob metum, ad Vrbem accedere præsumente; cùm artes quoq;, operæq; artificum, aliorumq;, qui sibi quotidianis laboribus victum quærunt, studia quieuissent; rarus cum commeatu, nec nisi eâdem infectus contagione, non exiguo pretij impendio, eum distrahendo, in Vrbem penetrabat. Ita fames breui, & omnium rerum indigentia, in eandem Vrbem immigrauit. Fæda res! morbus inuadit, mors imminet, vbiq; grassatur Nemesis: orbitates suæ à fi-

lijs; amicorum iacturæ, ab amantibus deplorantur; gemitus, eiulatus, querulæ dolentium voces, aures pulsant: est tamen aliud, quod sæuiùs furit in afflictos. Nam quid miserius est, quàm in summo rerum omnium defectu, ægrè fugientem spiritum, vtcunq; continendo, non posse tamen occurrere indigentiæ: & quamuis, ex vnius pertinacis monstri rapacibus vnguibus, mirâ te explicueris felicitate, adhuc tamen alteri non minùs sæuo obijci exponiq;, quod te consumat per momenta. Sic adfectos, afflictosq; humanâ maior, atq; incomparabilis Serenissimæ Reginæ respexit benignitas, & tempestiuo effecit præsidio, ne quispiam se non vno modo miserum quereretur. Strinxit omnes benignissima Princeps, mitissimo humanitatis complexu, multisq; florenorum millibus, in singulas Hebdomades, erogatis, hoc demùm peregit, vt se miseri homines ex illo squalore, tantò faciliùs liberarent, & enatarent è diuturnis malis, & tandem in statione melioris sortis quiescentes, de pristinis malis, queri desinerent. O sanè longissimas Serenissimæ Reginæ manus, non ad puniendum; quod ille de Regibus aiebat: sed ad remedia, liberalitatemq; præstandam: non ad pænam reorum, sed ad omnium felicitatem. O exemplum cunctis Heröicis mentibus imitandum, in quo regnatoris Supremi DEI imaginem, euidentissimè licet intueri. Quamuis enim ille mirabilia sine numero operetur, eiusq; immensa vis atq; potentia, nullis sit limitibus coërcita, amat tamen diues esse in misericordia. Nemo eo benignior, nemo tam Pater, extra se (vt ait Sanctus Dionysius) egreditur, omnia peramanter complectendo, omnibus prouidendo, omnes ab imminentium terrore periculorum eximendo: nisi qui obstinatâ malitiâ, suæ bonitati obluctantes, vltrò ipsi malunt interire; quam seruari. Erat olim in consuetudine stultissimis Gentilium Principibus, cum grandi Diuorum contumeliâ, Diuinos honores appetere; & non aliter in publico, nisi modo non humano comparere. Sic insolens ille, & arrogans, Dionysius Poliorcetes, cùm aliquot fortè Vrbes, in Græcia vi cæpisset, & funditùs diruisset; non est veritus procedere in publicum, capite duabus tænijs cincto, calceis auro tinctis, chlamyde acu pictâ, in qua cælum, & sidera, & mundus, artifici depictus manu, per vestis fimbrias, & cadentes limbos operosè discurrebat. Sic ferocissimus Alexandri Satrapa Clytus, cum apud Amorgum, tres aut quatuor triremes subuertisset, suæq; fortunæ exiguitatem, altè nimis expenderet; neutiquam sibi pudori duxit, Neptuni cognomine vocari, & tridentem gestare. Sic Dionysius Iunior, cùm paulò prosperiùs, in Tyrannidis inuisæ possesionem deuenisset, Apollinis se filium, turpi mendacio iactitauit. Sic Magnus Macedo, cum feliciter Darium, cruentis aliquot prælijs superasset, Iouis se filium non dici tantùm, sed etiam credi ab inuitis extorquebat; tanquam perinde animis, ac linguis impera-

imperaret. Ne multos memorem, laudatiſsimus alioqui Princeps Auguſtus, ne ipſe quidem huic vanitati, non ſuccubuit, cùm ſe templis, & effigie Numinum, per flamines & Sacerdotes coli voluit. Qualis, quæſo, iſta Diuinitas, per ſcriptas humano cruore leges, per exilia, & proſcriptiones, per madentes alieno ſanguine terras, laſſatam tot innocentum excidio crudelitatem, innumerabiles oppreſſorum gemitus, & florentiſsimorum Regnorum vaſtitates, cultum ab infenſiſſimis populis exigere, & ſuæ memoriam exuere conditionis. Commodiùs fortè, & modeſtiùs immanes regnaſſent Vrſi, & feri imperaſſent leones, quàm tot mortales, quibus etſi leonum rictus defuit, non defuit tamen ſæuitia, in lacerandis hominibus, opprimendis, trucidandis. Si Dei inuiſibilis lineamenta, in hoc mortalitatis ſuæ luto conſpici appetebant, Diuinorum illis imitatio morum, præcipuâ curâ fuit attentanda. Si illecebris cæleſtium honorum capiebantur, rapi debebant in ſimilitudinem illius Naturæ, quæ in mortalium vſus, & delicias tota ſudat, & cuius è ſinu & gremio, habent rorem ſuum Cicadæ, & ſua horrea auiculæ. Devs eſt (omniſcius Naturalis Hiſtoriæ ſcriptor loquitur,) mortali iuuare immortalem, & hæc eſt ad æternam gloriam via. Proximum Dijs tenet locum, (clamat è ſuâ porticu Romanus Zeno) qui ſe ex Deorum natura gerit, beneficus, ac largus, & in meliùs potens. Benè alijs facere (affirmat Syneſius) hoc ſolum habent homines, cum Deo commune. Reuera (doctiſsimus è veteribus ſcriptoribus Eccleſiæ, Clemens profitetur Alexandrinus) Dei eſt imago, homo benefaciens, quâ in re ipſe etiam beneficio afficitur; ſicut Gubernator ſimul ſeruat, & ſeruatur. Hanc Dei ſimilitudinem adumbratam, & viuis figurarum formis animatam, in Sereniſsimâ noſtrâ Reginâ, palàm erat intueri. Non illa in ſupremo faſtigio, humanæ imbecillitatis exuit recordationem; neq; cælum in veſte, vt ſuperbus Demetrius: ſed cæleſtis munificentiæ colores, in expanſo pauperum afflictorum ſinu duxit; ſed ſupparem ſtellis animum, in promptè alacriterq; præſtandis beneficijs declarauit. Non cum arroganti Clyto, tridentem geſtauit, quo pacati orbis tranquillitatem, nouis fluctibus agitauit: ſed cum Pallade ramum oliuæ protulit, quo cunctorum animos, amabili bonitate recreauit. Non cum Macedone Alexandro, non humanum ſibi quidpiam arrogauit; ſed Dei celeritatem in benefaciendo, exprimendam ſibi cenſuit. Non deniq; cum Auguſto, templa ſibi inſigni magnificentiâ attolli vidit: ſed viua hæc templa Dei, in quibus ſupremum Numen colitur; animalia Deo proxima, in contemplationem omnium, quæcunq; mundo contigerunt conſtituta, omnibus ſibi ornamentis cumulanda iudicauit. Sic cùm Diuinum ſit, benefacere omnibus indigentibus: diuinum aliquid, in Sereniſsimæ Reginæ pectus deſcendiſſe, æquum eſt credere: cuius ſeminibus fæcundata anima illa, excellens, illibata,

D tàm

tam prolixè ad humanitatis & bonitatis officia ſuccreſcebat, & tam maturos fructus producebat charitatis.

Quis verò dicendo conſequi, & celebrando exornare poterit, quæ eius in Sanctiſsimam DEI Genitricem, fuerit affectionum inclinatio? qui cultus? quæ Religio? Hanc illa Regnorum ſuorum firmiſsimam columnam dicebat; hâc auſpice omnia aggrediebatur: hâc præſide gubernabat imperium; hâc belli, paciſq; moderatrice nitebatur; huic ſe, huic ſubditorum ſuorum incolumitatem, victorias, triumphos, huic ſua omnia proſpera aduerſaq; commendabat. Recordari libet temporis illius, quo Vandalicus turbo, deuoratis Poloniæ ſpolijs, arroganter tumidus, victoriarum non tam obtentu, quàm ſpontaneo affluxu, ſuperbè nimis elatus, longo virium ſuarum vſu, & experimentis ferociens, poſt fatigatas diuturnis malis, integras noſtras Prouincias, Ciuitates, Oppida; Clari montis Częſtochouienſis mænibus incumbebat; vt ſecundo Marte, Regnum noſtrum peruagatus, etiam confinia noſtra, propter imponendum liberis ceruicibus iugum, præſidijs firmiſsimis contineret. Ferebamus hoc onus Poloni, quiq; præ cæteris Nationibus, aureâ libertate gloriamur, nunquam magis duram ſeruitutem exhorruimus; quàm dum fœda Iconoclaſtarum rabies, in locum illum, quem ſibi elegerat Supremum Numen, eiq; proxima Auguſtiſsimæ Virginis benignitas, conſurrexit. Infundebatur vicinis Regionibus metus, iamq; cum Fortunâ Poloniæ actum putabamus, quia cælitùs nobis hoc delapſum ancylium, hoc ſcutum firmiſsimum, hic murus Poloniæ, non tam ex Parijs, aut Caryſtijs marmoribus, ſtupendo opere ad diuturnitatem excitatus; quàm ſacrâ Religione hucuſq; inuictus, & inacceſſus cæpit oppugnari. Sed nemo tamen, aut teneriùs ſenſit, loci ſacri iniuriam, aut feruentiùs ad eum quantocyus, triſti obſidionis diuturnæ neceſsitate exoluendum, ſemet applicuit, quàm Sereniſsima defuncta. Illa cum Sereniſsimo Noſtro REGE, cui de noſtris annis, vtinam DEVS adijciat annos immortalis, vt diutiſsimè bono publico, vitâ mortali perfruatur; illa obſeſſos per ſubmiſſas clam literas animauit: illa deinceps cum Sereniſsimo REGE, alijſq; Proceribus Regni noſtri congregatis, aliquâ parte copiarum, vt fieri potuit, in tantâ trepidatione collectâ, in Poloniam è Sileſia demigrauit: illa Exercitus Regni promiſsis, pollicitationibus, lenitate, liberalitate, iniuriarum obliuione, à Sueco abduxit; & ibi rurſus iecit fundamenta redeunti fortunæ, quam, ſi concordes erimus, non facilè poſthac iniquitas vlla caſuum eſt ſubuerſura. Et quoniam in hunc montem, in quo beneplacitum eſt Domino, bona quædam fortuna me deduxit, non poſſum tam citò de illo deſcendere; niſi illud plenum demiſsionis, plenum pietatis, plenum amoris cuiuſdam immenſi, incredibilis, in Sanctiſsimam Virginem opus, vtcunq;, indiſertâ licet oris mei facundiâ

prædi-

prædicâro. Audite pietatis prodigium euoluta sæcula, & si placet exemplum, proferte ætati consequenti ad omnem perennitatem, ne æuum nostrum, in tantâ licet senescentis mundi malignitate, maximarum virtutum infæcundum videatur. Serenißimi Principes nostri, locum illum, tam Deo gratum, tam Diuinæ Matri tenerrimo affectu probatum, ne quando similibus hostium premeretur insultibus, nouo submisso præsidio muniuerunt. Satis ne istud? Satis fortaßis loci securitati; sed non pro eorum voto. Quod enim sufficeret minoribus mentibus; heroicis exiguum est: quæ vt pelagus aliquod, viuo beneficentiæ diluuio exundare volunt. Itaq; instant Serenißimæ Maiestates, vt munitio in meliorem formam reducatur, integris Præfecturæ Crepicensis reditibus, non interruptâ succedentium annorũ serie, eam in rem attributis. Satis ne iam? Nostræ fortaßis pietati, non eorum affectui & propensioni. Est aliquid in Serenißimis Maiestatibus, quod velut ignis, ardentißimis suauißimi amoris scintillis, eorum mentes vrit; quod eas ad rarißimam Virginis obseruationem, potentißimè stimulat; quod eas à seipsis peregrinari, & tota calentis inclinationis vehementiâ, in suam seruatricem ferri cogit. Est aliquid in intimis earum fibris, quod generosæ virtutis fomites, in gloriosa suscitat incendia. Erant tunc propugnacula Monasterij, à recenti obsidione, ruderibus plena & ruinis; Serenißimæ Maiestates non exspectatâ meliorum temporum occasione, in illâ negotiorum mole, præsentibus periculis, futurorum solicitudine, importunitate hostium, cùm adhuc Polonia tumeret, tantisq; calamitatibus sæuientis belli necesßitas incumberet, quantùm angustia rerum, & temporum permisit, vallo & fossâ cingi, Monasterium curauerunt: ipsæ regales sarculis admouerunt manus: ipsæ hoc pio labore fatigari voluerunt: ipsæ non voce tantùm, cohortatione, imperio; sed manu, operâ, exemplo, quid animi cunctis esse deberet, in auitâ Religione propugnandâ, in Beatißimæ Virginis, verißimæ Matris & Reginæ afferendo cultu declarârunt. Satisne tandem istud? Satis omnino, vbi ita viuit, in saxis, in parietibus, fundata recordatio Serenißimarum Maiestatum, vt non poßit ex secuturorum post futura sæcula nepotum, animis interire. Satis vbi ita pietatis suæ erexerunt trophæum, vt idem esset felicitatis monumentum. Stat adhuc Regium vel ideò dictũ propugnaculum, properato opere, ac velut suâ sponte surgens, promptiùs tanto exemplo, quàm Orphei vel Amphionis cantibus excitatum, quod perenne futurum est testimonium, quàm profundè pietas, in Serenißimarũ Maiestatum pectora descendisset, quarum curis & quasi manibus, tanta moles assurrexit. Narrent ergò Romanorum posteri, & vanißimæ laudationis augeant pompâ, sedulam suorum Maiorum diligentiam, qui nescio quâ oraculorum mendacium prædictione commoniti, Ficum Ruminalem, sub cuius olim vmbrâ

Romulus & Remus, ab Amulio Patruo, proiecti volucribus, & feris, lupæ vberibus sunt pasti, perennitatem imperij, & felicitatem Vrbis secum ferre, quàmdiu virens, & suo relicta vigori seruaretur; tam sanctè, tantoq; eam studio intactam esse voluerunt, vt ea vltrà octingentos & quadraginta annos, integris ramalibus, & recenti trunco, in nouos semper fætus reuirescere visa esset. Narrabimus nos multò iustiùs, omnibus literis, linguis, sermonibus diuulgandam, Serenissimarum Maiestatum Pietatem, quæ non aliquam arborem, cæcâ persuasione, fata secum Poloniæ trahentem; sed illam arborem, quæ meritorum suorum Verticem, vsque ad sidera extendit; plantatam manu Dei, super montem excelsum, & eminentem, vt esset in cedrum magnam, & habitarent sub ea omnes volucres, & vniuersum volatile, sub vmbrâ frondium eius nidificaret: illam arborem, cuius proceritas contingit cælum; cuius aspectus vsq; ad terminos vniuersæ terræ; illam arborem, cuius folia pulcherrima, & fructus nimius, & esca vniuersorum in ea; arborem vitæ, arborem omnium gratiarum medullam, arborem quietis, sub cuius vmbrâ fulmina innoxia cadunt, tumultus lenissimâ pace demulcentur, tempestates gratissimo ridentis auræ tepore molliuntur; arborem deniq; sub cuius expansis ramis, ipse DEVS commoratur dulciter, omni sibi ratione colendam, conseruandam, ornandam, iudicârunt. Quæ exinde verò vel prodigia, vel signa exorati Numinis, ac penitùs iam nostri, pietatem istam exceperunt! Ferunt cùm Augustus, implacabilibus ciuilibus odijs consopitis, quæ vniuersum orbem, & maria tristissimo humani generis sanguine infecerant: Romam, inter triumphales suorum plausus, reuerteretur; eo ipso tempore Coronam, Iridis specie circa solem apparuisse, quasi prænuntia esset, detersâ omnium bellorum fuligine, otij simplicem candorem, inter tartareæ tempestatis nimbos oriturum: & Augusti imperium, magis quàm solis matutinum iubar, lucem caliganti mundo redditurum, cum sine suo capite, discordia membra trepidarent. Hoc idem, in auspicatissimo ex Silesia reditu, Serenissimarum Maiestatum, nostra conspexit ætas. Nobilissimus hic index, & auspex rerum, non ad discernenda tantùm, & definienda tempora, diuinitùs constitutus; verùm ad significationem aliquam, & præsagia meliorum successuum facienda, cælo affixus, trinus cum duplici solari Coronâ, visus est supra verticem Montis diluxisse; quarum altera versus Meridiem, porrecta ad orbem vsq; solis, fastigio pertingebat; altera latiùs per aërem extensa, Monasterium, cum toto Monte ambiebat. Exultare ergò omnes, & lætitijs omnibus incedere, & Serenissimos Principes, faustissimis ominibus prosequi, & deposito mærore, exhaustisq; lachrymis, hilariter tandem renidere, & nouam sibi conuersionem rerum, optabili festiuitate, cunctorum mentes perfusuram polliceri. Alij hoc pulcherrimo spectaculo

culo, inclinatiſsimam Diuini in nos Numinis benignitatem, dicebant demonſtrari: quòd vt ſol diſsipatis, quæ obſiſtebant lumini ſuo inuolucris, pulcherrimè ad ſpeciem illuxiſſet coronatus: ſic Sereniſsimis Principibus, in Hemiſphærio Polono exorientibus, fortunam hucuſq; obnitentem, nulla eſſe impedimenta vincendi hoſtis obiecturam. Alij hàc duplici Coronâ, coronari à ſummo Præſide, pietatem eorum in Eccleſiam, & Patriam interpretabantur: quòd illi, cùm ad tempus coactis atris malorum nubibus, ſeſe ſubduxiſſent, rurſus ſe nouis pro vtrâq; periculorum fluctibus, Herculeis animis obiecerunt. Alij cælum ipſum, plures ſibi oculos mutuâſſe affirmabant: quòd quemadmodum execratum olim fædam Sueticæ crudelitatis, & impietatis veſaniam, cæcâ & denſiſsimâ caligine ſeſe inumbrauerat; ſic ab illo tempore, mirificè exhilaratum pietate eorum, nullum ſibi gratius euenire poſſe, ſpectaculum iudicabat; quàm nitorem magnificæ eorum virtutis, nigram tetramq; fatorum noctem, in auras & leues vmbras diſpellentis. Alij deniq; tranquillitatem temporum, iam certâ prælibabant exſpectatione: quòd vt promus ille lucis fæcundiſsimus, tamen in aduentu eorum, ſuam multiplicauit claritatem; ſic turbulentiſsima illa tempora, quæ nonnihil reſidere incipiebant; in duraturam omninò pacem eſſe deſitura; & datâ tranquillitate Poloniæ, in multis miſeriarum incendijs ſuſpiranti; faciem moderati imperij, haud aliter quàm ſereni cæli, iucundè in oculis omnium ſplendentis, cunctis Regni noſtri incolis, reſtitutum iri. Neq; irritam fuiſſe ſpem, vel vana prodigia, qui ſecuti ſunt euentus, feliciter declarârunt. In quo enim poſtea, Fortunam, ſenſimus nouercam? quæ nos hucuſq; pertinaci odio fuit proſecuta. In quo eam non experti ſumus, potiùs mirificè nobis obſequentem? Quid fuit, in quo de eius malignitate, iuſtè quereremur. Nutabant hucuſq; multi è militaribus legionibus, qui Sueco primùm adhæſerant: concordes poſtea animis, & moribus iunctis, in vnum corpus exercitus, cum ijs, qui ad Sereniſsimi Regis obſequium, ſanctis contubernijs, & pari ſe integritate coniunxerunt, coâluerunt. Deſtituebamur auxilijs, quæ eo tempore, cùm maximè flagitaremus, vicinæ nobis negabant gentes: Auſtria confeſtim, cum florentiſsimo exercitu, & Ducibus ad militiæ gloriam, ab ipsâ naturâ factis, in tempore nobis ea ſuppeditauit. Volitabat hoſtis impunè in noſtris Regionibus, fædo vlcerum & vulnerum confluxu, ſcatentibus Reipublicæ noſtræ membris, nouos crudeles ictus incutiens: certatim deinde deſertus à Fortuna, ludibrium, velut in caueâ exſibilatus, orbi dedit. Tenebantur firmiſſimis præſidijs, potiores in Polonia noſtra Ciuitates: paſsim deinde fidei ſe, Sereniſsimorum Regum ſubmiſerunt. Erat fædere hoſtibus, irretitus Sereniſsimus Marchio Brandeburgicus, grande momentum, ad potentiam hoſtis fulciendam: paucis poſt diebus Sereniſsimi

Regis, reuertentem postliminio Fortunam, effusissimâ cum gratulatione adorauit. Ciuitates, Oppida, Villæ, Homines, animalia, pecudes, salus, securitas, quies, virtus, fortuna, industria, quæ hucusq; , in mæstum squalorem, deiecta iacebant, in nouam sese visa, commutare venustatem, & lætioribus auspicijs, recentium successuum oblectari, & nescio, quam sibi grandem felicitatem spondere, & incredibili amænitate serenari. Ab illo certè tempore, si quis nesciuit, discere potuisset, nunquam victam humanis viribus, retundi Pietatem, quæ consueuit cælos expugnare. Ab illo tempore, si quis ignorauit, in cognitionem deuenisset, præeunte pietate, vires in arma suppetere, & felicem belli aleam rotari, & furiosi Martis, igneos æstus temperari. Ab illo tempore, si quis nunquam conspexit, vidisset, ductrice pietate, facilè motus opprimi, iura conseruari, hostilium armorum vires debilitari, dissidiorum Ciuilium tumultus placari, incendiorum furores mitigari, Vrbium ruinas feliciùs resurgere, minas fatorum sæuiùs non terrere, & omnes cum oppressione subditorum, ærumnas euanescere. Ab illo tempore, si quis non audijt, experientiâ certè hausisset, arripuisset, sub præsidio Pietatis, florescere delicias pacis, vigere Maiestatem Regiminis, Ciuium concordiam regredi, bellorum prosperitatem innouari, agrorum fertilitatem, morum candorem, æquitatis vigorem, omnis imperij felicitatem, spontè bonos Principes, & illis subditos populos comitari. Benè ergò tibi sit Potentissime & Serenissime REX IOANNES CASIMIRE, (patietur hîc tanta Maiestas, in transcursu Nomen inseri suum, in quâ optimi Principis ideam, non Protogenis cælo, vel Apellis penicillo, sed viuis adumbratam virtutum coloribus intuemur:) benè tibi sit, quod vestigijs antiquorũ Camillorum, Fabriciorum, Deciorum, Flamininorum insistens, alteram manum supplicem, tendens ad superos; alterâ militares in hostes ducens legiones, ad restitutionem nostræ securitatis, mirâ sedulitate inuigilabas. Hoc cælestis virtutis curriculum, cùm gloriosissimi maiores tui, ex linea Maternâ, illi Austriaci, ad publicam Orbis Christiani salutem nati, Rudolphi, Maximiliani, Caroli, Ferdinandi, Philippi, ex lineâ Paternâ, Iagellones, Casimiri, Alberti, Alexandri, Sigismundi, inoffenso gressu promouissent; tot victorijs de fusis hostibus reportatis, tot trophæis de subactis nationibus erectis, cum insigni nominis prædicatione, in luce totius Orbis, in spectatissimo Theatro cunctarum Gentium, duraturum vltrà terminos mortalitatis, plausum meruerunt. Hâc tu nunc ratione ruinas labentis Patriæ, nouus Atlas humeris tuis, ex ipsâ miseriarum abysso extulisti; dignissimus, quem statorem calamitatum nostrarum appellemus, nisi tu, quæ tua pietas est, hanc totam laudem, DEO tuo integram transcribendo resignares. Benè sit & vobis gloriosi, extinctæ Ludouicæ manes. Fruimini quiete, quam tantâ nobis

curâ

curâ quæsijstis. Circumfluatis beatissimâ luce, qui nobis tot crassas, & diu terris incubantes nostris tenebras, placido temporum sudo permutastis. Precamur visionem illam felicem, visionem beatam, visionem placidam, vltrà quam nihil est, quod sibi mortalitas nostra, possit maius exoptare. Precamur felix, in supernis Regionibus domicilium, qui pro nobis, in hoc Orbe Reipublicæ, motu voluistis moueri indefesso. Precamur, vt sicut olim Herculem, corpore ambusto immortalitas excepit, & duodecim radij, pro duodecim laboribus exantlatis: sic Pietas vestra, & eius pedissequæ virtutes, æternùm praefulgentibus luminibus, in illâ lucidissimâ Patriâ ambiantur.

Sed me repentè, de Serenissimæ Reginæ Pietatis, aliarumq; virtutum, ab hoc maiori quasi Sole, minoribus siderum fulgoribus prodeuntibus differentem, & plura etiam dicere meditantem, Prudentiæ alij radij, in ipso cursu Orationis, insperatâ circumdant luce, & ad se animum aduertere cogunt. Progredior ergò, quantùmuis lento & inualido passu, & sequor lucem præeuntem. Quam Prudentiam ego, non illam hîc intelligi volo, quæ mille Sinonijs vel Vlisseis instructa dolis, à calliditate secerni nequit, versipellis, latebrosa, honestatis impatiens, omnia in speciem faciens, nihil ad veritatem loquens, distrahens amicitias, miscens discordias, promittens non facienda, faciens non toleranda, per speciem officij sese rebus ingerens, & per insidiosas illecebras, fascinans mentes, diuertens socios, opes infirmans, cunctos fallens, cunctis insidians, qualem putida Politicorum versutia, ex Tiberianis, vel Herodianis deducit praxibus: sed illam hîc Prudentiam intelligo, quæ è confinio æternæ lucis descendens, vt tela maximo nisu in sublime excussa, iamq; redeuntia, intimiùs in res ipsas penetrat; & solertiùs à Diuinorum contemplatione descendens, in humana negotia introspicit. Illam hîc Prudentiam laudo, quæ ea, quæ sunt optimè cogitata, ad prosperos ducit exitus, quæ ordiendo à fine, in eum, tanquam scopum, cunctis suis collineat actionibus: & quæ maturè sunt destinata, non solùm diligenter; sed etiam fortiter exequitur. Illam hic Prudentiam existimari volo, quæ rerum momenta æquitate librat, difficultates dexteritate amolitur, hostium machinationes consilio anteuertit, rationis imperia, non exiguâ cautione pertractat: quæ vt magna solent lumina, ad exiguæ molis opacum, tenues & in conum gracilescentes vmbras spargere: sic illa totam obiectarum difficultatum molem, velut exiguum arctati & constricti alicuius corpusculi globum, suo fulgore obruit. Illam hîc Prudentiam in præconia voco, quæ incontinentiam, si inualescat, facillimè profligat; improbitatem, si se exerat, efficacissimè reprimit; malitiam si se diffundat, impigrè resecat; vim, fraudem, dolum, temeritatem, si luxurientur, vtilissimo rigore radicitùs exscindit: ius porrò & fas, & pacem, & otium cum dignitate

 in

in succedens etiam æuum promouet. Illam deniq; hic Prudentiam commendo, quæ omnia bellorum tumultibus deplorata, indulgentiæ, clementiæ, tranquillitatis sacris sideribus adflat, & omnes beatæ vitæ communicatione, velut dulcissimo ambrosiæ pastu satiat, eosq; remouet, à tristi metu, infelicium sæculorum. Dicite amabo, nonne hæc talis fuit Prudentia Serenissimæ Nostræ Ludouicæ. Quis vnquā Palinurus, quem Poëta Princeps, tanquam exemplar boni Naucleri describit, adeò solicitè omnes ventos explorauit, omnes captauit auras, omnia sidera labentia in illo latè patenti cæli ambitu notauit, vt felicissimè ad destinatum portum, velorum alas expanderet, nauemq; à præruptis scopulis, rapidisq; vorticibus expediret: vt Serenissima Nostra Regina, omnes benè consulendi Patriæ nouerat articulos, ne quando eam decumani fluctus, fluitantem in alto, tempestatibus seditionum, ac discordiarum, ereptis omnibus prorsus gubernaculis, absorberent: vt quod idem Poëta, de eodem testatur: eum perpetuò clauo affixum & hærentem, nunquam dulcedinem somni admittentem, oculos sub astra tenuisse, & ne in morte quidem gubernaculum proiecisse: sic ego meritò dicere possim, illam velut cygnum dulci modulationi, salubribus Patriæ consilijs suggerendis, supremum mortalis vitæ diem impendisse. Obsecro vos omnes animæ, apud quas tam insignis in Patriæ prouidendo Prudentia, tam solicita circumspectio, amorem nondum perdidit: sinite me tantisper, vt ad superiora tempora vestras remittam cogitationes, sinite vt non nihil præteritorum annorum memoriam, in conspectu ponam. Quando vrgentibus in deterius res nostras fatis, aut iustiùs extimuimus, aut propiores fuimus discrimini, quàm cùm ferocissimus ille multarum palmarum gladiator, totam secum barbariem trahens, velut commune quoddam incendium, vel publica pestis, ac lues, in nostram perniciem, præcipiti furore agebatur. Parùm est dicere, lectissimum Polonorum militum florem, sæpiùs hostium multitudine, licet non Virtute cæsum: integri exercitus sternebantur. Parùm est queri, ignobiliora Oppida suis incolis exhausta: florentissimæ Ciuitates, sæuiente in ætatem innocentem crudelitate, ad internecionem vsq;, sanguine, & cruore suorū Ciuium, implebantur. Parùm est ingemiscere, multa millia miserorum hominum, in Tauricam Chersonesum abducta: integrarum regionum cultores, post terga manibus reuinctis, frustrà domesticos lares respicientes, in hostiles terras, æternam ibi seruitutem seruituri, velut iumentorum, vel pecudum greges agebantur. Parùm est dolere, confusa humanitatis iura omnia: ne à Religionibus quidem sanctissimis, violentæ manus abstinebant. Parùm est lamentari, vastissimas Russiæ terras, lætissimâ vbertate, suprà omnium propè nationum genium exsudantes, & non tantùm in fruges, sed in voluptatum instrumenta luxuriantes, diuturnis populationi-

tionibus vexatas, crebris Scytharum percursationibus laceratas, exustis populosissimis pagis deformatas, exterminatis è suis agris cultoribus exinanitas; ipsæ illæ opimæ Regiones, & felices glebæ, solitudinem deplorant suam; & quasi in vastis Arabiæ desertis, nullum hominis occurrit vestigium: nauigantium modo sidera obseruantur, ad quorum lucem, cursumq; , iter dirigant transeuntes. Non perfidus Annibal, sexdecim continuos annos, amænissimos Italiæ vrens tractus, tantumq; ad Thrasimenum, Trebiam, Cannas, Romani sanguinis fundens, tot Vrbes, Oppida, Ciuitates, ab illius imperij corpore auellens, miserabiliorem Regionibus illis intulit vastitatem; quantam monstrum illud, quod ex ambitione, auaritiâ, perfidiâ, crudelitate, tanquam suis elementis coaluerat, Russicis Regionibus, annis circitèr quatuordecim, inuexit cladem. Non pertinax Samnium, integro sæculo, indomitam Romanorum exercens virtutem, & viginti quatuor triumphorum, præbens causam, pluribus stragibus domitum, ac subactum, pristinam ferociam deposuit: quàm tunc beatissimæ illæ attritæ sunt Prouinciæ, vt iam vix à cadaueribus cæsorum sepeliendis, intacta tellus reperiri possit. Non ciuilia Romanorum bella, sæuiùs occisionibus plurimorum capitum, totum imperium afflixerunt; quantis nostrorum occisionibus, illa Terra, exercituum licentiam, tot atrocis belli furias, miserijs suis, & sanguine suo alere, atq; sustinere coacta, redundauit. Vt si fabulosum est, voluisse olim Simoenta & Scamandrum, Græcorum præconijs notos amnes, decolores humano sanguine lymphas, & armis corporibusq;, fortium virorum tumidos, nequaquam intra riparum suarum angustias substitisse; sed plenissimis sese alueis in plana circumiacentia extulisse: veritatem iam inuenerit in Russia nostra, non fluuios tantùm, cæsorum sanguine decolores, vndas spumantes deuexisse, & cunctantes meatus vix eluctatis cadaueribus, euoluisse: sed alibi ipsos sanguinis riuos, deletis multis incolarum millibus, ipsa fluenta tristissimi cruoris, certatim non ciuitates modò habitabiles; sed patentes campos permeâsse. Dura erat profectò hæc fortuna Poloniæ, & crudelis, quæ tot annis vnum nefarium Spartacum, vnum mancipium, in Rempublicam insultare, debacchari pateretur. Cùm interea videre erat, Serenissimam Reginam, in illa tempestate, ac nocte bonorum, in subitâ atq; improuisâ formidine, in tantis tenebris, ac incendio Prouinciarum, Diuinâ atq; eximiâ virtute, magnis nostris luctibus subuenire; & vi mentis heröicâ, ad sopiendas malorum causas properare. Vtinam nobis singulos Prudentiæ eius actus, liceret intueri; Vtinam vim illam animi indefessam, in bono publico promouendo possemus, ad breuissimum tempus, oculis vsurpare. Cerneremus certè pulcherrimum exemplar velocissimæ mentis eius, in singula Reipublicæ corpora diffusæ, quæ ingenia, egregiè ad salutem Reipublicæ procurandam

dam

dam animata, beneficiorum suorum dulcibus stimulis lacesseret; quæ ruentes aliquos in seditionem, blandis humanitatis vinclis, & compedibus constringeret; quæ robur fortibus, timidis audaciam, celeritatem tardis, omnibus fiduciam inspiraret; quæ velut classico omnes, sub signa euocaret, ad Patriæ calamitates depellendas. Cerneremus sublimem illam animam, velut ordinatissimum Horologium, quod interioribus rationum libramentis artificiosè impulsum, & præcedentium rerum, cum sequentibus connexione, quasi quibusdam disparibus rotis mouens sese, gratissimam ederet harmoniam, ad omnia publica negotia, accurato ordine, & sine vllâ confusione transigenda. Cerneremus masculum illud pectus, in potestate moderatum, in moderatione prudens, in prudentia forte, suis propè manibus, hiantes imperij nostri rimas, in vnam compagem coagmentans, & totam fortunæ iram, efficaci dexteritate sistens. Cerneremus acre illud, & excitatum iudicium, occurrens vbiq; fortunæ casibus, in tempore medelam adhibens, imperitæ hominum temeritati, mala omnia in melius, facili flexu mutans, dura atq; aspera, leni correctione molliens, cautissimâ veritate fraudes arcens, circumspectâ fortitudine non abhorrens arma, constanti sagacitate non cedens aduersis, non temerario impetu, ipsis semet immergens actionibus, non præcipiti festinatione, improborum machinationibus metas ponens. Cerneremus deniq; heröicum illud pectus, alteram Pharum, alteram nauigantium Arcton, ad cuius micantem lucem, Reipublicæ nostræ lacerata nauis, cursum suum dirigeret, & post diuturnas iactationes, opportunam tandem defigeret stationem.

Gratulabatur sibi de tantâ Matre, in tristibus suis suorumq; ærumnis Polonia, & semimortuam ex imis visceribus depromens vocem, manantibus, inter stratos suorum Ciuium aceruos, lachrymis, optimam Principem, tenui aspiratione geminabat: cùm interea sæuiorem aliam procellam & tempestatem, ominosus Aquilo in nostras fudit Regiones. Heu tempora, sanguine potiùs, non sepiâ describenda, in quibus quæ memoriam præteriti temporis, bonâ fide conseruatam, liberali notitiâ dispensat Historia, non facilè est fidem inuentura; quia difficulter factum credent posteri, quod fieri non debuisse iudicabunt. Et quid enim tam Tragicum? tam crudele? tam atrox in Historijs visum, cuius non renouata in Regno Nostro, bello Suetico exstent monumenta. Quos vnquam tam crudeles parturijt fortuna motus, quorum non luctuosas reuolutiones, hisce temporibus instaurârit. Antea quamuis sæpiùs à fortunâ pessimè tractati, quamuis infortunijs, ceruicibus nostris incumbentibus, vndiq; pressi; tamen inter ipsa rudera afflictæ Patriæ, stabamus erecti, & meliorum spe, præsentium tolerantiâ, nos vtcunq; solabamur. Tum consumptis & exhaustis omnibus viribus, infixâ cordi Reipublicæ Nostræ letali

arundi-

arundine, iam mori, iam extingui cæperamus; nec vllum ſpe, quæ extrema afflictos deſerit, concipiebamus malorum finem, niſi quem victa, & ſatiata miſerijs noſtris fortuna, eſſet nobis conceſſura. Non enim vt prioribus bellis, extremas Regni Noſtri Prouincias, truculentus Mars, infeſtis armis populabatur; ſed ipſa interiora Poloniæ, fœdis hoſtium rapinis lacerabantur. Non vt cum ſpurciſsimo illo Mirmillone, inſtructâ acie pugnabatur: ſed mercatus liberorum capitum inſtituebantur, & ſubditorum in Dominos, mancipiorum in heros, cruenta violentia laxabatur. Non florentiſsima tantùm Oppida, continuis deflagrabant incendijs, & in ſuis ſepeliebantur cineribus: ſed Sanctiſsimæ etiam polluebantur Religiones. Non apertam tantùm vt olim vim metuebamus: ſed fraudibus etiam, dolis, machinationibus, in corpora noſtra, in animos piraticam exerceri videbamus. Non mutua vtrinq; damna & incommoda inferebantur, & accipiebantur: vt ſaltem communis calamitas, ferream temporum conditionem emolliret: ſed noſtris hominibus, noſtris opibus, noſtris bonis oppugnabamur: noſtræ nobis auxilia ſalutis, extremam formidinem intentabant. Si qui eſſent generoſioris ſanguinis, & qui ſupercilium arrogantis Domini ſuſtinere non poſſent: hoſtili firmandæ potentiæ, miſerrimè attriti & conſumpti. Si qui ſimpliciores; ij ingentibus promiſsis onerati, & in partes adſciti. Cæteri vel duræ exactionis onere, vel excogitatis criminationibus capti, inuoluti, implicati. Pleriq; partim metu impendentium malorum; partim tædio præſentium; blandâ ſpecie imponentia ad præſens, ſine labore; quàm tuta in futurum malebant: & quaſi iam de Polonia actum eſſet, quæcunq; ſibi viuendi præſcriberetur conditio, ſuſtinebant potiùs; quàm vt inclementis inuaſoris, timendas iras irritarent. Accedebat ad hæc mala, exercitus noſtri, hinc vrgentibus ab Oriente Moſchis & Coſacis; hinc à Septemtrione Suecis, primò inſignis tumultus, trepidatio, & fuga: poſt aperta Sueco deditio. Accedebat Senatorij Equeſtriſq; Ordinis, in vicinas Regiones, deſperatâ & comploratâ Patriæ incolumitate, fuga & diſceſsio. Accedebat finitimorum Principum, qui in fide & clientelâ Sereniſsimorum Regum Poloniæ viuunt, in partes Suecorum tranſitio, & cum ijſdem fœdus ſtabilitum. Accedebat munitiorum in Republica propugnaculorum, ab hoſte partim machinis, partim machinationibus expugnatio. ex quibus illi velut ſpeculis, vicina deſpectantes loca, acutiſsimè odorabantur, accuratiſsimè obſeruabant, ne quæ fierent occulta conuenticula, ad communem Patriam, è præſentibus malis liberandam. Quid memorem clam ſubmiſſos coryceos, qui dubios cuiuſq; ſenſus explorarent; & ſi quid hoſtilibus conatibus aduerſum fuiſſent ſuſpicati, apertis proditionibus deferrent hoſti. Quid dicendo perſtringam terribiles in dies exactiones, per quas, veluti ſuo

 ſangui-

sanguine exinaniti populi, neruos & vigorem amitterent, ad pristinam recuperandam libertatem. Ac iam ne illas quidem implacabiles, exprimere conabor, si quis aliquid præsenti statui contrarium molitus fuisset, pœnas: quæ irrogatæ, non vano terrore audentiores percellerent, & in officio repugnantes continerent. Relinquam etiam peragrare dicendo, (vt tandem ad propiora veniam,) insignem Cleri contemptum, & crebra Sacerdotum exilia, & à templis extorta inaudita lytra, quibus ipsis animis, durissimæ seruitutis compedes inijciebantur. Non ergò iam crebris singultibus, nec sæpiùs repetitis suspirijs; sed rorantibus lachrymarum guttis, & lugubri eiulatu, incolumitati florentissimi Regni, inferiæ parabantur. Non iam ab exteris anceps, & dubia nostra fortuna credebatur; sed velut in vltimo exitio, sepulchralia nobis Cenotaphia scribebantur; nec alius de nobis sermo, nisi calamitosus omnis erat. Non vlli Ciuium, vel tenuissima spes allucebat, tandem aliquando succisam istam arborem, in nouas stirpes pullulaturam; sed omnes ne fragminibus obruerentur procumbentis, tempestiuo sibi effugio succurrebant. Et profectò in tanto spectaculo occidentis Patriæ, cùm ad extrema quoq; fuisset ventum; cùm nunquam à recentibus cladibus, vel leuissimam respirandi moram, fors benignior indulgeret; mirum fuisset, si tot iactati malis, abalienauissemus à præsentium rerum sensu animos; & arma sola, ferrumq;, prostratæ spei nostræ reliquias, obstinati teneremus. Admirabiles erant, & ad stuporem vsq;, contra fortunam contumaces, Martiales illi Viri Romani; tamen auditô fusum, fugatumq; exercitum suum, ad Alliam flumen, sub Gallorum Duce Brenno; tantum conceperunt trepidationis, vt tota Ciuitas effusa portis, in vicinas diffugeret nationes. Adhuc tantum sibi post Cannensem cladem, videbant potentiæ circumdatum, vt integras in supplementa cæsorum, emittere possent legiones, & tamen tam funestis perculsi casibus, cladibusq; exhausti continuis, iam multi de deserendâ Italiâ, consilia agitabant: nobilesq; plurimi Iuuenes, Duce Cæcilio Metello, ad Regem aliquem transfugere, turpi cum Patriâ diuortio factô moliebantur: nisi Scipionis fatalis Ducis ad oppugnandam Carthaginem, impigra virtus, desperatis consilijs obstitisset. Et miremur nostrorum pectoribus, excidisse spem, ad pristinum surgendi florem, cum hostes vndiq; insurgerent, amici vbiq; desererent, exercitus nostri cladibus exhaurirentur, nulla domi, nulla foris præsidia cernerentur, & tamen hæreret lateribus nostris pestilens sagitta, & gladius vaginâ vacuus, capitibus nostris immineret. Sed ô miram Diuinæ in nos Prouidentiæ rationem! quæ cùm intentat minas, iaculatur fulmina, minatur excidia, terret periculis, in perditis tamen rebus, Patriæ suæ reminiscitur lenitatis. Est cur ô mea Polonia supremo Numini, pias exoluas preces; est cur fatearis in illâ tuâ tantâ imbecillitate,

litate, aliquam vim, aliquod è cælo patrocinium incredibili properatione, remedij commodum tibi instruxisse. Ea vis igitur cælestis, quæ sæpè nobis incredibiles felicitates attulit, quæ tot pernicies adultas profligauit, ac sustulit: quæ toties cruentos domesticos hostilesq; detersit enses: Serenissimis Principibus, eam iniecit mentem, vt in media illa pericula, in ipsam flammam, & incendium superbè successibus suis abutentis hostis, se inijcerent; torrenti ingruentium malorum, firmos aggeres struerent, opponerent sese fœdifragis, à quibus, si diutiùs Polonia possessa scelere inaudito fuisset, subiuisset dedecus, ignominiam, seruitutem sempiternam. Difficile est, non modò verbis exequi, sed ipsâ mente & cogitatione consequi, ingentium in rempublicam beneficiorum magnitudinem, quibus illi, vt Reipublicæ moles, quasi implicatis adstricta nodis, nunquam dissiliret studuerunt; sed reliquis vmbram facere videntur, illa effusa in nos sub tempus latrocinij Suetici, beneficia exhibita. Proposuerunt tum Serenissimi Principes concursum Heröicarum virtutum, cùm tantis licet telis aduersitatum sauciati, properarunt tamen ad suorum vulnera obliganda, & se non nolle pro subditis in ærumnis viuere, pro subditis in ærumnis mori declararunt. Proposuerunt specimen prudentissimæ circumspectionis, quâ in castris pro exercitu, in consilijs valuerunt pro Senatu: quâ languenti, deficienti, exspiranti, Reipublicæ corpori succurrerunt; libertatem in tuto posuerunt; oppressam religionem, profanata templa, extinctas leges, sublata iudicia vindicarunt; quâ superba Domin[illegible]tium fastidia, æterna tributa sustulerunt: fæuiendi in insontes lice[illegible]iam, & barbaricam crudelitatem, ex oculis nostris, immò è memor[illegible] propè nostrâ eraserunt. Proposuit Serenissima nostra Regina, quam meritò cum ingenti tristitiâ, ereptam nobis lamentamur. Cui enim adscribendum est, quòd in illo decursu rerum, iacentia quorundam ingenia, & quodam torpore obstricta, ad verum decus iuuandæ Patriæ sunt experrecta? Adscribendum est Serenissimæ Reginæ: quæ molli quodam palpo tractare, & leni freno circumagere, nostrorum mentes docta, blandis vocibus mirificè eos est hortata, vt in imo positi, locum sibi resurgendi putarent datum: alternas enim rerum esse vices: & sicut in deterius optata; sic in melius aduersa flecti. Quis fuit, qui mirum cunctorum animis, desiderium libertatis inseruit, quod in tantis malis iam frigescebat, vt cum REGE optimo, in quæuis pericula sese ferre, & aduersis pectoribus vulnera excipere, & licet per apertam stragem, ad certissimam salutem iter sibi struere: quàm ad tempus simulatæ hostili clementiæ, confidere vellent? Hoc Serenissimæ Reginæ debemus beneficium, quæ in illâ supremâ necessitate, quos ad salutem Patriæ conseruandam, admirabili constantiâ animatos, præstantissimos videbat ciues, eosdem colligebat, & illâ suâ bonitate, auctoritate, beneuolentiâ permouebat, vt incensi tenderent ad

 salu-

ſalutem Patriæ aſſerendam. Cuius conſilijs prudentiſsimis effectum eſt, quòd Sereniſsimus Brandeburgicus, diſtractam hoſtilibus calliditatibus voluntatem, ad vnam communis ſalutis, curam reuocauit? Iſtud inter cætera eſt, quod Sereniſsimæ Reginæ Reſpublica noſtra, fert acceptum emolumentum, quæ expeditâ cum Sereniſsimo REGE, legatione ad eum domeſticâ, eum datæ Regno fidei admonuit, & ab improbâ Sueticorum armorum ſocietate alienauit. Quis illum Rakocium de impotentis ſpei faſtigio, turpiter deiecit; nec ſenſim ſed ſubitò fregit, vt vix cum paucis, fugæ comitibus, è media ſuorum internecione, & horribili captiuitate, ſemet trepidus expediret? Hoc eiuſdem Sereniſsimæ eſt Reginæ, manſurum ad poſteritatem monumentum, quæ in Claro Monte conuocatis, qui præſtò eſſe poterant Senatoribus, Ordinumq; militarium Ductoribus, inflammauit eoſdem, vt maximis Poloni populi luctibus, funeribuſq; ſubuenirent, & Rakocij furorem, domeſticis ſaltem Tranſiluaniæ populationibꝰ caſtigarent. Cuius dexteritati tribuendum eſt, quòd noſtris militum numero imparibus, apparatu inferioribus, laboribus exhauſtis, cum tot difficultatibus confligantibus, in propugnationis conſtantiam, externorum auxiliorum, acceſsit robur: quòd Vrbes, quòd Arces munitiſsimæ, ſine ſanguine Ciuium reſeratæ? His tam illuſtribus, & fructuoſis operibus, efficacem manum Sereniſsima appoſuit, quæ in eo bello tam difficili, nobiſcum militare, nobiſcum vincere, nobiſcum proſperè paciſci, nobiſcum vtramq; fortunam ferre, dulce ſibi & decorum iudicauit: quæ (vt multa in compendium contraham) nullis parcebat ſumptibus, nullis terrebatur moleſtijs, fatigabatur tædijs, quo minùs vndiq; certiſsimis auxilijs ad Patriam, ex præcipitio ærumnarum omnium eruendam comparatis, nos feliciſsimæ conditione pacis cumularet. Tantorum in nos beneficiorum, ſanctiſsima apud nos manebit in animis noſtris, inſcripta perpetim obligatio, communis illi cum Sereniſsimo REGE, cui manet, manebitq; ſemper apud nos, primus honor, & illibata gratia: communis etiam cum alijs præclariſsimis Patriæ ciuibus, qui ad præclaram ſeruandæ Patriæ ſolicitudinem, ductu, operâ, aut alio quocunq; inſigni modo acceſſerunt. Illud verò iam Sereniſsimæ Reginæ, peculiari ac propriæ virtuti, adſcribendum eſt: quòd ad tantam prudentiam, munificentiæ etiam pulcherrimum adiunxit decus, & potiores ſuas in Republica partes, benè de ea merendo reddiderit. In conualeſcente, ſed ſine ſanguine & neruis, Patriâ, graſſabatur adhuc fæda triſtiſq; tabes, corruptura bona conſilia, inopia ſcilicet rei pecuniariæ, quæ (vt æternum eloquij lumen teſtatur Tullius,) maximus in Republica nodus eſt. Tributa ne imperari quidem poterant, exhauſtis, per immoderatas populationes ſubditorum peculijs. Militibus porrò, niſi cos adſit aurea, hebeſcit acutus enſis, aut in viſcera Patriæ vertitur, res fortunaſq; miſerorum Ciuium conſumpturus. Didicimus

id ſæ-

id sæpiùs tristibus experimentis, quibus exigua hæc scintilla, non in tempore redditi, vel dilati stipendij, plura produxit incommoda, quàm formidata bellorum mala, & grassans hostilis sæuitiæ rabies, & professa in nos odia populorum. Succurrit optima Regina: hunc prauum obicem, à conspectibus amouit nostris: depressis attulit iuuamen rebus; iucundo sonitu adnumerati auri, in seditionem pronas militum mentes mitigauit; & non parcens etiam supellectili Reginali, (quod olim tantopere in Antonino Pio, suspexit Roma) promptas eorum, ad recedendum à Patriæ obedientiâ voluntates, ipsa se pro Republica, opponens vadem, grandi pecuniæ erogatione repressit. Quid autem hîc rursus mirer? effusam benefaciendi celeritatem? an efficacitatem: beneuolentiæ in Ciues promptitudinem? an Ciuium pro Reipublicæ vindicandâ integritate fortitudinem? dominantium in subditos fauorem? an subditorum Principibus suis, studia obsecuta? Vnum illud in mutuâ beneficij vice, factum dicam, curatum seriò, ne quam in partem victoria inclinaret. Nam cùm hucusq; vix hostili, vtcunq; potentiæ, ne inclementi sese proferret feritate, sufflaminandæ, exiguis viribus instructi fuissemus: proposuimus abhinc Polonicorum armorum gloriam, apud hostes reuerentiam, finitimos auctoritatem, apud omnes immortalitatem parauimus; compensariq; labores nostros, beatissimâ laudum affluentiâ, lætati sumus: cùm non modò veteranum hostem, qui nuper vniuersam Europam, in Germania, infinitâ malorum serie implicuerat, & ingentibus iacturis, cognatas inter se commiserat acies, longè trans sua maria propulimus; verùm etiam, iuimus inter sæua pericula, infra terram & maria, & pænè supra tonantem (vt ait Virgilius) cæli portam. Immò deficientibus prælio terris, immiti nos maris elemento, ingentes classes tantùm, & nauigia transuehere solito, campestres Poloni credidimus, & vltra littora Balthica, & Danicos sinus recedentem, nouis prælijs, primò exterruimus; mox etiam cruentis cædibus, vlti sumus. Excurrerem verò hîc vlteriùs in prædicationem togatæ, Serenissimæ Reginæ prudentiæ: numerarem gestarum rerum, inuitante fæcundâ materie longum ordinem. Celebrarem labores in æstibus publicis, quos illa obiectos aggressa feliciter sustinuit, & impedimenta, quæ illa obstantia dextrè auertit, pericula, quæ illa obtrusa facilè transcendit, salebras difficultatum, quas illa tumentes, nimis molliter complanauit. Ponerem in culmine summæ laudis, adiectas in omni negotio maiestati gratias, Gonzagano nomini omnium virtutum apparatum. Has aliasq; eius prudentiæ dotes, commendando percenserem; nisi iam viderem eas amorem publicum, in memoriæ suæ gazophilacio reposuisse, & ipse subuereri inciperem, ne me implexa, & verè lacinijs suis inuoluta toga, diutiùs in sermonis cursu moraretur. Veniat ergò & in huius ornamentum virtutis, coronatus radiorum fulgor, vt quoniam Serenissima defuncta,

vnà cum Serenissimo nostro REGE, vt rutilum nauigantium sydus, in cæca caligine temporum, in nocte rerum, in tenebris ærumnarum, lucidissimam prætulit facem, ad Rempublicam diu cum fatis pugnantem suis, à supremi exitij discrimine liberandam; quoniam semper in prælijs magnanima, victorijs modesta, dubijs prouida, consilijs solers, executione eorum industriâ, in id vnum intento animo ferebatur, quomodo ciuium saluti mitibus subueniret aspectibus, verè Serenissima, verè prudentiæ conspicuo diademate dicatur coronata.

Quâ Prudentiæ gubernatricis prærogatiuâ, licet se dignissimam, quantùmuis exquisitissimis honoribus præstiterit LVDOVICA: est tamen adhuc singulare aliud & eximium, quo supra humana omnia altiùs euolauit. Illa illa animi inconcussa constantia, in secunda fortuna moderatio, in aduersa serenitas, in vtraq; victoria: illa supra omnem mortalitatis turbinem, eleuatæ mentis magnitudo, quæ per omnem omninò ætatem, tot rerum vicissitudinibus circumactam, tot procellis iactatam, tot successuum sinistrè fluentium casibus afflictam, impulit, depressit, nunquam tamen oppressit Ludouicam. Quale & quantum Cælites spectaculum habuistis; cùm infracto inter tot tumultus animo, cùm omnia sæui turbines quaterent, portum in pectore inueniret Ludouica Nostra: & ibi haberet quietem, vbi ingentia robora, proceræ Cedri, nequaquam impetu vehementi incurrentibus ventis, procellosisq; Aquilonibus resistebant. Quàm placidus ille fuit animus, qui inter sanguinolentas scenas, quarum vltimus erat actus, interire; totam vim acerbioris fortunæ miti patientiâ exarmabat. Inferebat nobis ab Oriente homo amentissimus, atq; omnibus consilijs præceps, & deuius bellum cum exercitu suo, supra omnem immanitatem barbariemq;, cruentum, tetrum, sceleratum, superis, hominibusq, inuisum. Aduolabat ad Lithuaniam, & Russiam, luctu, lamentis, vastationibus implendam, ardens odio hostili Moschus. Inflammatus pristinis simultatibus, excitatus dulci prædæ illicio, à Septemtrione Suecus, id moliebatur, vt hæc omnia perturbaret, euerteret, diuitias Regni, causam belli putaret, fortunas nostras partim dissiparet, partim distribueret parricidis. Ne quis angulus nobis vacuus esset, à Meridie fædam secum trahebat colluuiem Transyluanus, & quâcunq; ibat, omnia horridis vstionibus deformabat. In ipsâ Patriâ, cuncta plena odiorum, plena discordiarum, plena licentiæ, plena teterrimæ confusionis prospiciebantur. Stetit tamen in hoc impetu insanientis, & obuia quæuis sine discrimine raptantis Fortunæ, inconcussa Ludouica Nostra: interq; durissimas ærumnas, & optimam conscientiam posita, tanquam arbor altissimis defixa radicibus, nullâ vi labefactari, nullis iniurijs loco poterat dimoueri. Ausa est tentare propinquiùs fortuna, contorsit potentissimum telum, dum binam prolem vnicum Regnatricis domus delici-

delicium, desideratissimum nobis Iagellonij Sanguinis traducem, publicæ felicitatis optatissimum pignus, acerbo, quia præcipiti fato, terris ostensum tantùm, crudeli Libitinæ falce, peremit succiditq;. Fuit hoc procul dubio in ipsa præcordia immissum telum, quod robustissimas etiam, vi suâ mentes prosterneret, in Regali præsertim Domo, in quâ orbitates, inter summa infortunia computantur; liberi calẽte communium plausuum fremitu spectantur. Nam vt doctissimus loquitur Cassiodorus: quodam modo ipse putatur viuere, cuius nobis progenies cognoscitur imperare. Tulit etiam hunc gurgitem, hanc voraginẽ priuati publiciq; luctus, compositissimâ mente; & ne Mater improlis esset, Rempublicam tanquam dulcissimam filiam, in suas curas adoptauit. Estne aliquod in amplissimo Fortunæ armamentario calamitatis experimentum, quo inuicta Ludouicæ constantia exerceatur. Inueniet, inueniet cæca Dea, implacabile vulnus, quod Palladis etiam pertundat scutum, quod omnem Atlantæi animi pertinaciam confringat: nam cùm per tot difficultatum luctamina, & horrentes periculorum salebras, immeritum caput circumduxerit: adhuc ne in amplissimo quidem & spatiosissimo Regno, securum relinquet Maiestati locum, & in alienas Terras vi procellarum abreptos, prudentissimos Reipublicæ nostræ Rectores eijciet, & geminas has nostræ salutis aras, deportatas è patrijs locis, peregrinis in Regionibus collocabit. O spectaculum illud non modò hominibus, sed vndis ipsis, & surdis littoribus luctuosum; cedere è Patria Seruatores eius, optimos Principes: manere in Patria perditores: desæuire furentium hostium conatum & audaciam: non posse tutò consistere lumina & decora Poloniæ; quæ ita conseruãda erant, vt illud signum Romanis cælo delapsum Vestæ custodijs continebatur. Volitare impunè aris & focis omnium nostrum, immò ipsi naturæ & humanitati inimicos, qui omnia Diuorum hominumq; iura, nouis inexpiabilibus sceleribus fœdauerant: excludi per violentiã, qui toties nos admirabili grauitate, constantiâ, magnitudine animi, formidolosis Reipublicæ temporibus confirmârunt. Hic verò vastus ille calamitatis fuit Oceanus, cuius exitum, cùm ne prospicere quidem miseri possemus, non modò suspiria, sed vota etiam ipsa, quorum maxima libertas est, ex desperatione intermisimus; & quemadmodum illi, quos lubricũ in sublimi aliquo, & pendenti scopulo, fefellit vestigium; cùm in præceps toto corpore feruntur: videntq; vltimum sibi adesse periculum: obluctari vltrà desinunt, manibusq; proiectis, committunt se suo casui; sic nos in illâ nostrâ extremâ infelicitate, discriminibus ampliùs decumanis repugnare, rem cõnatus non humani cernẽtes, vltrò sponteq; nos malis nostris tradidimus, illisq; succumbere visi sumus. Neque tamen concidit etiam in tanto circa se periclitantium tumultu: supra omnem calamitatis molem efferebat se altiùs; de suo periculo solicita, solabatur alios, & capaci cæli animo, supra occasum

Patriæ, in ortum magnanimæ ascendebat spei. Locauit fiduciam in Deo suo, & in se grassantē Fortunā, vmbone fortitudinis propellebat. Altissimorum montium vmbras, mobilibus fluuijs impendentes, spectamus in hoc veluti vndarum solio, suâ Maiestate consistere, semper in eodem, & semper in alio. Nam subtrahentibus se, quæ substernuntur aquis, aliæ atque aliæ continuò succedunt; & stant in tantâ fragilis elementi rapiditate. Non dispari modo Serenissimæ Reginæ heroica constantia, per tot reciprocantes fortunæ iactata fluctus, inter lapsus hominum & rerum, suo se pondere, in lubricâ calamitatum crystallo sustentabat: eademq; semper in diuersis rerum mutationibus apparebat. Vnum adhuc restabat telum, quo omnis fortunæ pharetra penit⁹ exhauriretur, vt quæ toties cum Fortunâ, tam prospero duello contendere non ignorabat: ipsa tandem sub iura mortis traheretur. Sed quæ semper & vincere & victoriâ vti sciebat Ludouica, ne hîc quidem superari se passa fuit. Didicerat, vt erat animo, ad difficilia quæq; percipienda tenacissimo, sic esse vnumquemq; diem aspiciendum, tanquam vel vltimus esse posset. Altè combiberat animo, eum qui Diuinâ imperia libens exciperet, nihil debere facere, quod nolit. Itaq; sic animum composuit suum, vt quod concepit cogitatione, idem exprimeret opere; semperq; parata esset exire è vita, semper finem suum sine tristitiâ cogitaret. Impresserat felicissimæ recordationi, per has mortalis vitæ angustias, illi meliori longioriq; præludi: per hoc spatium, quod ab infantiâ patet, in senectutem, nos in alium maturescere partum. Reuocauit igitur ad vsum, quod memoriæ infixum hæsit, & lubens libensq; supremam excepit necessitatem. Instante etenim decretoriâ illâ horâ, quæ latura sententiam, de omnibus suis annis esset: cùm & tenerrimo sensu pietatis, Deo suo per crebram Eucharistici panis sumptionem, sese coniunxisset: supremas tabulas placidissimè composuisset, iniuriarum omnium sibi illatarum recordationem, deponere se ex animo confirmasset: diuortium cum corpore fecit; & æternitatem, inter crebros amantis Conditorem suum animæ gemitus, desideriaq; vehementia inchoauit. Heu lingua quomodo tantam Poloniæ iacturam protulisti. Recrudesce iterùm post tot clades nouissime dolor, indue pullatum & feralem colorem eloquentia; oculos in terram simul & mærorem deijce, crinibusq; disiectis, quod solenne est, in magno funere, lamentare. Eheu Ludouica, lux Poloniæ & Mater, sæculi nostri gloria, suauitas, elegantia, in cuius humanitatis gremio circumactum multis calamitatibus componebamus caput; cuius vitam, felicitatem nostram putabamus; eam nobis subitò incumbere calamitatem, vt cùm tibi vitam, libertatem, focos, magnâ ex parte debeamus, omnes te vidui ac orbi deseramus. Non quidem querimur immatura virtuti tuæ funera: iam enim in primo æui tui flore maturueras,

ras, nisi te exorata Numina diu terris commodassent. Sed queri- mur in te extinctam Religionis zelosissimam Propugnatricem, templorum magnificam fundatricem, miserorum promptissimam auxiliatricem, pupillorum & orphanorum munificentissimam benefactricē, virtutum omnium tenacissimam obseruatricem: immò querimur in te amissam Matrem Patriæ, Matrem bonorum omnium, Matrem publicæ securitatis, quam tuâ salute antiquiorem habuisti, quam tantis impendijs quæsiuisti. Non lugemus ereptam te nobis, quæ pridem velut rutilum sydus cælo debebaris: sed lugemus ereptos in te pulcerrimos labores, pietatem constantiam, lenitatem, bonitatem, comitatem, liberalitatem, magnanimitatem, munificentiam, quibus Polonicam hanc Andromedam, Fortunâ & opibus olim florentissimam, nunc magnis fluctibus & monstris expositam, liberasti, exsoluisti, defendisti. Non gemimus immortalem illum spiritum, à nobis translatum, virtutibus tanquam alis subuectum, in ipsum cæli domicilium euolasse. Sed gemimus perijsse nobis in te moderationis delubrum, domicilium prudentiæ, constantiæ arcem, humanitatis penu, mansuetudinis sacrarium, & vno verbo virtutum thesaurum. Sed iam quandoquidem immortali Deo placuit Ludouicam terrâ maiorem, & humana supergressam, in cælum recipere, consistat tandem intra orbitam suam acerbus dolor, nec mouendum quod in adamante Superi descripserunt. Recipiat hoc illustre excellentis naturæ Terra depositū, & vt sydera solent, parumper obnubilatū, clariùs in altissimâ cæli plagâ emersurum. Tu verò mærens Lechia, quæ supremi Regis ante solium, has benignissimæ Principi Ducis exequias, temperato tibi in diluuio mæroris, alioque signo tuam in Seruatricem gratitudinem exhibeto. Commemorant Historici, quorum calamis, vt suus virtuti honor habeatur, sæculorum obliuio debellatur: Tyrios olim, cùm de Rege creando consilium inijssent, hanc ad extremùm inuenisse Regni deferendi rationem, vt is qui die insequenti solem vidisset orientem, primus Rex ab omnibus salutaretur. Nec mora; procedentibus omnibus in campum, versis in Orientem oculis, ingeniosissimus aliquis Strato, solus in Occidentem prospectabat, editisq; culminibus vrbis, radiantem fulgorem solis ostendit, cùm illi vt ipsum Solē aspicerent, frustrà expectarent. Idem à te Polonia mea, Serenissima Regina LVDOVICA cupit vsurpari. Occubuit illa, sed velut cæleste lumen, in ipso Occidente mortis, gratissimos virtutum splendores spargens, & è confusis crassisq; dimissa humanorum tenebris, ad planam, & liquidam Diuinorum venit lucem. Hæc ergò virtutum claritas & amplitudo, ne in tua vnquam occidat recordatione: poscit à te tanquam mercedem omniū vigiliarum suarum, quibus tot per annos tuis vulneribus medebatur. Vigeat in memoriâ sæculorum omnium, & eius nomen tuis sermonibus celebretur per orbem, vt extingui nullâ

vnquam vetustate posit; per quam te tibi redditam gratularis, cui debes ne diuturno tuo luctu, hostium in te licentia redundaret. Fruatur hoc solatio defuncta, vt quoniam continuo in Patriam meritorum tractu, vitam extendit suam, in vastißimas ætatum myriades, eius gloriosæ virtutis fama prorogetur. Stet illi in tuorum pectoribus, hæc Corona Radiata, Pietatis virtute, tanquã auri splendore exornata; Prudentiæ varietate, tanquam vermiculato gemmarum emblemate distincta; Constantiæ soliditate tanquam perenni fulcimento roborata: vt seri quondam Nepotes, videntes non trabibus aut saxis inscriptum LVDOVICÆ nomen; sed monumentis æternæ laudis consecratum, inter aurei eam sæculi percenseant ornamenta. Hoc vnicum est præmium, quod pro suis immortalibus in nos beneficijs, par est à nobis receptura. Nunc verò quia DEO sic iubente, alteri tantùm Serenißimorum Principum Nostrorum, rerum salus, Patriæ tutela, omnium regimen & cura incumbit: æquum est nos pro eo supremi Numinis aris, supplices aduolui, & fausta quæuis apprecari.

Æterne DEVS, vnice huius Regni Vindex, Stator, Defensor, serua nobis Principem, quem rerum nostrarum vices miseratus, & præuidens mala, quæ flagitijs nostris poscentibus, denso in nos agmine eruptura erant, in ipsa tua iustißimâ seueritate, tanquam vnicum remedium, præsidium, solatium; immò defensorem, Assertorem, Parentem nobis prouidisti. Non noua vota concipimus. Tu enim iam tunc eum, in tutelam tuam libens lubensq́; recepisti, cùm tot hostium insidijs, velut auidißimis leonum faucibus eripuisti. Tuo ille auxilio, omnibus suis inimicis excelsior, inconcussus stetit. Tuis æternùm prædicandis succeßibus, ex tantis euasit difficultatibus, in quibus sublimes & proceri gigantes hausti interirent. Quo maiore fiduciâ ijsdem illis votis, quæ pro se nuncupari iubet, oramus atq; obsecramus, vt non priùs plenus altis laudibus, plenus triumphis, plenus illustrißimis victoriarum trophæis, æternitatis Capitolium ingrediatur; quàm exstirpatis Schismaticæ contumaciæ erroribus, attritis domesticæ prauitatis moliminibus, protecto à barbarorum incursionibus Regno, comparatâ legibus reuerentiâ, inductâ aureæ pacis tranquillitate, hostium perdomitâ peruicaciâ, Prouincijs omni bonorum affluentiâ cumulatis, templis Religione adornatis, vtrumq; mundi cardinem, suarum laudum gloriosis præconijs peruagatus, nomen suum ad posteros transmittat immortale, DIXI.

Sumptibus, ex Fundatione perpetuâ, Magnifici ac Generosi Dñi,
D. BARTHOLOMÆI NOWODWORSKI,
Equitis Melitensis, S. R. M. Rotmagistri, & Commendatoris Posnaniensis.